

Denique liber Sapientiæ, æque ac liber secundus Machabeorum, maxime videntur scripti ab aliquo pharisæo contra sadducæos, qui negabant Numen et animæ immortalitatem, indeque futura honorum præmia, et impiorum supplicia, quæ omnia concedebant et contra sadducæos vropugnabant pharisæi, ut patet *Act. xxiii, 8*. Cum enim Eras scriba collegium scribarum, id est sapientiæ studiosorum instituisset, ac tempore Machabeorum, imo tempore Ptolemæi Philadelphii, Judei sub jugum Alexandri et Græcorum venissent, factum est ut multi scribarum Platonis, Aristotelis aliorumque Græcorum sophistarum libros legerent, vel cum eorum posteris et assellis sermones miscerent; ac, cum viderent hos negare Numen et futuram vitam, illos vero, utrumque assereere, ipsi quoque in duas sectas divisi sint, nimirum in pharisæos qui utrumque asserebant. et in sadducæos qui utrumque negabant. Pharisæos sequebatur populus, sadducæos vero optimales, utpote liberiore et licentiori vitæ dediti; unde Joannes Hyrcanus, filius Simonis, fratris Jude Machabei, a Juda Machabeo (cujus fidei exemplum hac de re exstat II *Mach. xiv*) degenerans, in ultima sua senectute a pharisæo quodam irritatus, et ab altero sadducæo amico suo incitatus, ad sadducæos, defecit, teste Josepho, lib. XIII *Antiq.* cap. xviii, et acerrime pharisæos est persecutus. Hyrcanum secutus est filius Alexander, et ex eo nepos Aristobulus; e quibus Alexander uno die octingentos Judeos coram se cum pellice epalante, crucifigi jussit, teste Josepho, lib. XIII *Antiq.* cap. xxii. Hos secutus videtur Herodes Ascalonita, qui proxime Aristobulo, ejusque fratri Hyrcano in principatu Judææ accessit; nam et ipse plurimos pharisæos occidit, eo quod in ipsum regem jurare nollent. Mox vero contentiones hæ pharisæorum et sadducæorum sedate sunt post exsilium Archelai, filii Herodis, cum ei successit fuere præses romanus: hi enim in neutram harum sectarum partem declinarunt; ac tum utraq; pars, licet opinionum suæ inherens, conspiravit contra Christum quasi communem suum, id est judaismi et synagoge hostem. Ita Franciscus Lucas in *Matth.* cap. II, vers. 7. Sapiens ergo optimates hæ heresi sadducæorum (quibus similes sunt nostri machiavellicæ) infectos, ad sanam Numinis fidem metumque revocare satagens, eos compellat, dicens: « Diligite justitiam, qui judicatis terram, sentite de Domino in bonitate, » id est bene recte et digere; ac deinceps eis futura impiorum supplicia, et piorum præmia inculcat.

Igitur Sapiens hoc libro maxime celebrat opera Sapientiæ, in tutandis protēgendisque bonis et fidelibus Hebræis, ac perdidit impiis infidelibus, Deoque rebellibus, Chananæis et Egyptiis, Pharaonis assellis; qua de causa breviter hic multas Genesæos, Exodi atque Numerorum historias perstringit, ac subdite nonnulla, quæ ibi

facientur supplet, ut de origine et auctore idololatriæ, cap. xiv, vers. 15; de vespis, quæ missæ a Deo debilitaverunt Chanaanæos ante adventum filiorum Israël, cap. xii, vers. 8; de manna justis omnem saporis suavitatem varietatemque quam desiderabant, exhibente, cap. xvi, vers. 20; de larvis spectisque, ac igne sibilisque serpentum et bestiarum percellentibus Egyptios in nona plaga Egypti, quæ fuit densissimarum tenebrarum, cap. xvii, vers. 3, 6, 9; de visionibus terrificis primogenitorum, cum occiderentur transeunte angelo, cap. xviii, vers. 19. Ubi advertit auctorem hujus libri sepe salire subito ab uno Dei miraculo ad aliud, ac subito resilire et ad prius redire, idque facit maxime in ultimis libri capitibus. Idem sepe faciunt propheta, hic enim liber scriptus est stylo prophetali, uti docent Patres.

Jam vero S. Hieronymus qui Auctor est latine versionis Vulgatæ Bibliorum, exceptis Psalmis (in his enim Ecclesia retinuit versionem Septuaginta utpote jam omnium ore tritam et decantatam), non videtur fuisse interpres hujus libri Sapientiæ et Ecclesiastici, quia eos non videtur habuisse canonicos; unde nec prologum eis præfigit, ut in cæteris libris a se traductis facere solet: imo passim aliter Sapientiæ citat, quam habet nostra Vulgatæ, ut patet ex Commentariis ejus in *Isai.*, cap. LV et in *Zach.* viii et xii, et alibi sepius.

Denique a S. Augustino, Cypriano, Dionysio Areopagita et aliis S. Hieronymo antiquioribus citatur sententiæ et libro Sapientiæ eodem plane modo, quo nunc habentur in Vulgatæ Latine; illa ergo ante S. Hieronymum existit oportet: quare plane verisimile est in Sapientiæ et Ecclesiastico retentam fuisse ab Ecclesia præscam versionem, qua ipsa usa fuit ante S. Hieronymum. Adverte: Græca hic, æque ac in Ecclesiastico, sæpe incerta sunt et evariant; consulenda ergo est editio Græca Romana correctæ a cardinali Caraffa, et probata a Sixto V, ac multo magis Latina Vulgatæ, quæ hic purior est, quam sit Græca, ideoque Græcæ præferenda, ac habenda S. Scriptura authentica, uti sanxit Concilium Tridentinum, sess. IV.

Commentati sunt in Sapientiæ S. Bonaventura, Lyranus, Hugo, Dionysius Carthusianus, Robertus Holcot ex ordine S. Dominici, Petrus de Alliaco cardinalis, Petrus Nannius, Hieronymus Orosius, Vatablus, Isidorus Clarus, Cornelius Jansenius, nostri Joannes Lorinus et Christophorus a Castro, Gonsalvus Cervantes ex Ordine S. Augustini. Porro Bellator Presbyter, uti refert Robertus Holcot, scripsit in Sapientiæ lib. XXIV. Mattheus Cantacuzenus brevia, sed insignia in Sapientiæ edidit scholia, quæ ex Græco, in Latinum convertit noster Brunellus.

Brevior hic ero, ne opus Salomonicum nimis excresecat, præsertim quia multa, quæ hic commemorantur et iterantur, jam a me in Penitentiæ. Proverbiis et Ecclesiaste explicata sunt.

PRIMA PARS

LIBRI SAPIENTIÆ,

IN QUÀ CONTINETUR SAPIENTIÆ ELOGIUM ET PARENESIS, VEL ADHORTATIO AD EJUS AMOREM, STUDIUM ET ZELUM.

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Invitat omnes, præsertim rectores, ad sapientiæ, ad eam viam monstrat, scilicet justitiæ, et sincerum Dei sensum cultumque: Deum enim nosse et odisse simulationem, marnasationem, detractionem, mendacium omnemque pravitate cordis et operis, quibus justitiæ læditur, ac mors proceccatur, quam Deus non fecit, sed impij eam sibi ultro accersierunt.

1. Diligite justitiam, qui judicatis terram. Sentite de Domino in bonitate, et in simplicitate cordis quærite illum: 2. quoniam invenitur ab his, qui non tentant illum: apparet autem eis, qui fidem habent in illum: 3. perversæ enim cogitationes separant a Deo: probata autem virtus corripit insipientes: 4. quoniam in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdolo peccatis. 5. Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum, et auferet se a cogitationibus, quæ sunt sine intellectu, et corripitur a superveniente iniquitate. 6. Benignus est enim spiritus sapientiæ, et non liberabit maledicum a labiis suis: quoniam renum illius testis est Deus, et cordis illius scrutator est verus, et linguæ ejus auditor. 7. Quoniam spiritus Domini replevit orbem terrarum: et hoc, quod continet omnia, scientiam habet vocis. 8. Propter hoc qui loquitur iniqua, non potest latere, nec præterit illum corripiens judicium. 9. In cogitationibus enim impij interrogatio erit: sermonum autem illius auditio ad Deum veniet. ad correptionem iniquitatum illius. 10. Quoniam auris zeli audit omnia, et tumultus murmuratum non abscondetur. 11. Custodite ergo vos a murmuratione, quæ nihil prodest, et a detractione parcite linguæ, quoniam sermo obscurus in vacuum non ibit: os autem, quod mentitur, occidit animam. 12. Nolite zelare mortem in errore vitæ vestræ, neque acquiratis perditionem in operibus manuum vestrarum. 13. Quoniam Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum. 14. Creavit enim, ut essent omnia: et sanabiles fecit nationes orbis terrarum: et non est in illis medicamentum exterminii, nec inferorum regnum in terra. 15. Justitia enim perpetua est, et immortalis. 16. Impii autem manibus et verbis accersierunt illam: et asumant illam amicum, defluerunt, et sponsones posuerunt ad illam: quoniam digni sunt qui sint ex parte illius.

1. DILIGITE JUSTITIAM, QUI JUDICATIS TERRAM. SENTITE DE DOMINO IN BONITATE, ET IN SIMPLICITATE CORDIS QUÆRITE ILLUM. — Vox *diligite*, Græcè ἀγαπάτε, hebraice אהבתי *ahabu*, habet energiam et

emphasim, significat enim ingentem et vehementem amorem, et quasi ardorem justitiæ, qui iudicibus et principibus a natura quasi insus et connaturalis videatur, sed gratia et exercitio

ascendens et perficiendus sit, ut notat S. Basilius in *Psalm.* XLIV, ad illa : « Dilixisti justitiam. »

Nota, sicut Ecclesiastes initio proposuit thema totius libri, dicens : « Vanitas vanitatum, et omnia vanitas, » quod deinde toto libro prosequitur, probat et confirmat : sic hic Sapiens proponit thema et argumentum totum sapientiae suae, haec enim non aliud tractat, non alium scopum spectat, quam ut doceat omnes homines, praesertim principes, diligere justitiam, Deum cognoscere, amare et revereri, ac simplici corde illum querere, colere et venerari : in hoc enim consistit vera, coelestis et divina sapientia ; unicum ergo medium ad sapientiam est justitia ; unde, Ecclesiasticus, cap. I, vers. 33 : « Fili, ait, concipiscens sapientiam, conserva justitiam, et Dominus prebebit illam tibi. »

DILIGITE JUSTITIAM, QUI JUDICATIS TERRAM. — Syrus et Arabicus, *judicatis terram* ; Antonius in *Metaph.*, part. II, serm. 9, legit, *qui iudicia exercentis inter homines*, quasi dicat : Vos, o reges, principes, gubernatores et iudices, qui iudicatis, id est regitis terram in suas provincias et urbes distributam, puta regitis civis urbium at incolas provinciarum, diligite justitiam : nam, ut ait Salomon, *Proverb.* XXXI, 4 : « Rex justus erigit terram, vir avarus destruet eam. » Est synecdoche, ex parte enim praecipua intelligitur totum, puta ex iudicio regiminis : *judicare* enim olim erat prima pars regiminis, primumque officium regum : illorum enim erat et est iudicare, id est *dicere jus* populis ; unde id per se praestiterit Julius Caesar, Augustus, Vespasianus, Domitianus, Trajanus, Adrianus, Antoninus, Maximus, Commodus, Pertinax, Severus, Caracalla, Justinianus, Carolus Magnus, S. Ludovicus, alique imperatores et reges, quos recenset Tiraquellus *De nobilitate*, cap. XXVIII. Rursus, *judicare* est vindicare pauperes a potentibus oppressos, juxta illud de Salomone et Christo praedictum : « Deus, iudicium tuum regida, etc., iudicare pauperes in iudicio, » *Psalm.* LXXI, 2 : « Cum allerantur homines, ad iudicium confugiunt (ad iudicium autem ire, est ire ad jus ipsum, quippe cum iudex nihil aliud sit, quam jus quoddam animatum), et quaerunt iudicem quasi medium et mediatorem, » ait Aristoteles, *V Ethic.*, IV, 10. Idem Aristoteles *ibid.* dixit, ait, id est *justum*, sive jus dicitur, quia *dixit*, id est *disparium*, divisum est, quasi *dixit*, id est *bipartitum*, et *dicarum*, id est *iudex*, dicitur quasi *disparis*, id est *bipartitum*, quia utriusque litiganti sum jus partitur, dividit et distribuit. Hinc Salomon hic, cap. IX, 7 : « Tu, ait, elegisti me regem populo tuo, et iudicari filiorum tuorum ; » quasi regis proprium sit iudicare, et jus suum cuique partiri.

Emphasim habet *ad terram*, q. d. O reges, nolite alta sapere, sed fastum, dominatum et tyrannidem premite ; non in caelo, sed in vili terra regnatis : est rex caeli, qui vos aspiciet et despiciet,

vosque iudicabit. Incipit a regibus, quia qualls est rex, talis est et populus : nam

Regis ad exemplum totus compositur orbis.

Sic natura primum in embryone format cor, quia cor dat vitam caeteris membris ; sic caeli regis, probat et confirmat : sic angelus superiores dirigunt inferiores ; pari modo reges regunt caeteros homines.

Justitia hic proprie accipitur primo, pro virtute, quae cuique reddit jus suum, hanc enim principes tueri debent, velut basim et columnam reipublicae, cujus tutelam si negligant, improbi opprimunt probos, potentes imbecillos, divites egenos, etc., indeque orientur schismata, rixa, bella, et totius reipublicae confusio, exitium et ruina. Quare iudicium et principum prima cura esse debet, ut cuique jus suum servent, illudque ab injuria quoruncumque teneant, nec sinant se flecti donis aut minis, ut a vero justoque vel hulum deflectant, ut fecerunt iudices Aroopagita, de quibus dixi *Actor.* XVII, in S. Dionysio Aroopagita : justitia enim inter virtutes elucet sicut luciferus, sive lucifer, inter stellas, praesertim in principe, ait Aristoteles, *V Ethic.* I, et Philo, lib. *De Creat. principis*, quia, « remota justitia, quid sunt regna, nisi magna latrocinia? quia ipsa latrocinia quid sunt, nisi parva regna? » ait S. Augustinus, lib. IV *De Civitate*, cap. IV, hinc, *Cant.* I, 3, sponso dicitur : « Rocci diligunt te. » Septuaginta vertunt *edocra*, id est *rectitudo* dicitur te, quasi dicat : *Rectitudo*, id est justitia, regia virtus, ideoque regi Christo, sponso Ecclesiae est familiaris, intima et perchara, ait Origenes. Et Isaias, cap. XI, vers. 3, hoc Christo regi regnum cingulum assignat : « Et erit justitia cingulum lumborum ejus, et fides cinetorium renum ejus : quoniam, ut dicitur *Psalm.* X, vers. 3, justus Dominus et justitias dilexit, aequitatem vidit vultus ejus. » Idem per umbram videre Sapientem genuitium. Plutarchus, *Commentarius ad indoctum principem*, ait justitiam esse assessorem Jovis et deorum, adeoque sine ea, ne Jovem quidem recte dominari. Thebis iudicium stultus spectari absque manibus idem Plutarchus asserit, et eam quae principem referret, avertisse esse oculos, ut justitiam et a donis alienam esse debere, et nulla mulcere facundia oportere, significaret. Apud S. mandum iudex ita pingitur, ut a collo ejus suspensa veritas pendeat, oculi sint in sinum dejecti, oculo legum libri circumstant, quo significantur iudices integros esse debere, et solam inspicere veritatem : ita Pierius, *hierogl.* 41, cap. IV.

Alibi passim justitia pingitur ut virgo velata oculis, una manu libram tenens, altera glandium ; audi Pierium, *hierogl.* 33, cap. LXXI : « Junium inventum est, justitiae severitatem atque rigorem per exertum ense manu virginis praesentum significare, cui ad aequitatis iudicium, trutinam etiam addidere. Sed enim apud veteres aliter tra-

ditum inveni, qui justitiam cum libratis omnino faneibus in leva figurabant, sed enim dextera non ense, sed fasces cum adalligata securi stantebant ; merita aequae ex hujusmodi hieroglyphica praemia merentibus impendi atque distribui ; hinc scelerum convictis castigationem impendere significantes. » Subdit deinde alias emblematis partes : « Sed enim species haec duas secum mulieres captivas trahit, unam, quae fractum ense manu praetendit, alteram, quae conto imittitur ; duo ex hoc figmento vitia domita iudicantes, ut ex utriusque medio virtutem ipsam astruerent, per fractum scilicet ense, severitatem nimiam retusum cohibitamve intelligentes ; per contum, lenitudinem ad ferulam revocatam, quia iudicia plus equo producebantur, inde enim cunctatio, quae retardationem significat. *Lenti* vero sunt, qui nullo atroci quantumlibet scelere concitantur, neque publicis, neque privatis injuriis commoventur. » Hinc justitia ab antiquis nuncupata est Astraea virgo, quae cum aureo saeculo descendisset in terras vitis in dies crescentibus indignata evolavit in caelum, et in signum coeleste, cui nomen libra est, conversa fuit, ut refert, *Mytholog.* lib. II, cap. II, Natalis Comes, de qua Seneca in *Octavia* :

Astraea virgo siderum decans.

Et Ovidius, in I *Metamorph.* :

Et virgo caede medentes
Ultima caelestem terras Astraea reliquit.

Et Hesiodus :

Ipsa autem justitia est virgo ex Jove nata,
Castaque veneranda, quae diis qui Olympum habitant
Et quando quis eam laesit oblique damnans,
Stetit apud Jovis patrem solens Saturnum,
Dicit hominum injustitiam, donec
Solvat populus injustitias regum.

Secundo, justitia hic cum Christophoro a Castro et aliis, generatim accipi potest pro completionis virtutum, et sic quaelibet virtus est pars, vel species justitiae, omnis enim virtus spectat ad quod aequum, justum et dignum est fieri : praescribit enim ea, quae ad officium hominis spectant, ut honeste secundum rationem, legem et voluntatem Dei vivat ; hoc autem officium quoddam est jus, non justitia commutativa et strictae, sed generalis et amplae, ad quod nos obligat virtus, ratio et lex ; unde Cantacruzenus censet Deum hic loqui hortaturque ad justitiam, id est virtutem exercitationem, ut per eam ad sapientiam cognitionem, id est ad Verbi divini mysteria cognoscenda prepareremur. Confirmat ex eo, quod Deus Josue duci populi praecipit, cap. I, vers. 7, dicens : « Confortiare, et esto robustus valde : ut custodias et facias omnem legem, quam praecipit tibi Moyses servus meus ; » et ex eo quod ait Michaeas, cap. VI, vers. 8 : « Indicabo tibi, o

homo, quid sit bonum, et quid Dominus requiratur a te : Utique facere iudicium, et diligere misericordiam, et sollicitum ambulare cum Deo tuo. » Sic quoque S. Bernardus, qui per justitiam accipit poenitentiam et patientiam in quavis tribulatione : sic enim ait in *Sentent.* : « Quatuor gradibus, ait, distinguitur omnium electorum profectus. Primo enim sit quicquid amicus suae animae, secundo sit amicus justitiae, tertio sapientiae, quarto sit sapiens. » Secundum deinde ita prosequitur : « Diligendo autem justitiam transit ad secundum gradum, et audit illud Sapientiae praecceptum, *Sapient.* I, 1 : *Diligite justitiam, qui iudicatis terram* ; quam si perfecte dilexerit, debet pro ea patienter ferre omnem poenam, et quaecumque illatam contumeliam. Duo quippe praestabit ei justitia, unum, ut faciat quod debet ; alterum, ut patiar quod debet, sicut ut si bonum non fecerit quod debuit, malum quod meruit, patiarur. Sic miro modo, ne deserendo quidem justitiam ab ipsa deseritur, dum per ipsam quilibet praeviationis reatus puniuntur : neque enim est, qui se abscondat a colore ejus. Hanc autem poenam non solum vir justus non horret, verum etiam liberiter excipit, dum per eam praeterita vitia peccata purgari fideliter credit : hinc enim scriptum est, *Proverb.* XII, 21 : *Non contristabit iustum quicquid ei acciderit.* Idem, lib. III *De Considerat.* cap. II : *Diligite, inquit, justitiam qui iudicatis terram.* *Sapient.* I, 1, A tenent est justitiam tenere, nisi et diligas, qui tenent, tenent ; qui diligunt, zelantur. Amator justitiae inquiri justitiam, et prosequitur eam : porro omnem injustitiam persequitur. »

Porro Sapiens hic monet principes, ut sicut potestate, sic et justitia, id est omni virtute, praecedant et praesent subditis. Sapienter Basilius imperator, *Ezhort. ad Leonem flum.*, cap. X : « Cave, ait, ne regni malus custos, degeneris aliquid atque indigni committas ; sed sicut caeteris prelatibus es ut omnibus imperares, ita contende, ut virtute quoque caeteris antecelas : virtus enim omni principatu omnique auctoritate praestantior est. Si ergo dignitate quidem reliquis praestans omnibus, virtute autem ab alio praecelleris, imperator es in eo, quod minoris excellentie est ; in eo vero, quod praecelarius est, imperator non es, imo alterius immerito subes. Ne sis ergo vultus oppositissimus atque adulterius dominus, cum te alius praestantior reperitur ; sed verus imperator, cum caeteris omnibus virtute antecelas. » Princeps qui id praestat, est sol orbis, ac vivum Dei simulacrum, cum ipse semetipsum ad officium Dei per virtutem componit, ait Plutarchus, *Commentaria ad principem indoctum.* Hinc quoque hujus loci appositum esse sensum patet ex sequentibus, quibus perversas cogitationes, detractiones, murmura, velut justitiae, id est sapientiae et virtutis contraria reprehendit, ut quasi idem hic dicat, quod cap. VI, vers. 10, ubi ait : « Ad

vos ergo reges sunt hi sermones mei, ut discatis sapientiam (prudentialiam et virtutem) et non excidatis: » hinc et Vatablus hoc loco pro *diligite justitiam*. vertit, *diligite sapientiam*: unde noster a Castro sic exponit, q. d. Vos, o principes rectoresque hominum, a quibus pendet totus populi salus, diligite virtutem et sapientiam secundamini, de qua mihi sermo instituitur, atque actiones vestras juxta precepta illius ad pietatem componite.

SENTIRE DE DOMINO IN BONITATE. — Apte dilectioni justitiae subjungit sensum bonitatis cultusque Dei, velut causam: nil enim ita hominem, praesertim reges in justitia et officio continet, atque metus cultusque Dei: unde Philo, *De Vita Moysis*: « Religio una, ait, civium animos astringit, et contubernales societatesque confirmat; » quod usque adeo verum est, ut falsas etiam religiones et sectas ad illigandos civium animos ab infidelibus principibus inventas affirmet S. Augustinus, lib. VIII *De Civit.* cap. XXXI. Adde reges esse quasi quosdam deos in terra, sunt enim Dei vicarii, officiales et ministri; unde Plato et philosophi docent reges esse quasi viva Dei simulacra; quin et Psaltes. *Psal. LXXI*: « Deus, ait, stetit in synagoga deorum: in medio autem deos (reges et iudices) djudicat. » Sensus ergo est, q. d. Vos principes estis Dei vicarii, et quasi dii quidam terre-tres; imitamini ergo Dei justitiam, virtutem et sacramentum; illam ergo sentite, id est usu et praxi gustate et sapite, ut legit S. Hieronymus in *Isai.* cap. LV. Jam

Primo, « sentite de Domino in bonitate, » id est sentite de Deo bene et recte, sic enim Hebraei adverbium significant per nomina, ut « servite Domino in letitia, » id est laete; « fac tua in fortitudine, » id est fortiter; « in amore, » id est amantier. « Primus discendi ardor, nobilitas est magistri, » ait S. Ambrosius, libro II *De Virginitate*. Quid nobilitas Deo, justitiae et sapientiae magistro? De eo quod ait *bonitatem*, id est bonam opinionem et estimationem, esse concipiendam. In *bonitate*, id est bene sentite de domino *veo*, q. d. Bonum sensum et sententiam de Deo in mente efformate, ut sensus vestri de Deo sit ipse congruus, ipseque dignus, ut talem concepiat de Deo habeatis, qualem ipse meretur, ut talem vobis in animo finit deus, qualis revera ipse est. Unde S. Cyrilus, *in Epist. ad Alec.*, in Concilio Ephesino ait, « Sentite de Deo, sicut potius paraphrasice: » « Sentite de Deo, sicut vera sunt. » Et tres illi epistolae, quibus in epistola ad Leonem imperatorem dicitur, de Chute-tonensi: « Ad omnem, ait, doctrinam catholicam fidei sufficit docere sapientem sicut Salomonis; ait enim, *Sapientia* est sentit de domino in bonitate, et in simplicitate sentit quante eum. Quid ergo pessima calliditas iniquitas faciet, cui ultra bonitatem nequam licet excedere? » Ita Dionysius, Clarus, Augustinus et Vatablus. Sensus ergo est, q. d. O

reges, curate ut de Deo Deique providentia, maiestatem, iustitiam, sapientiam, potentiam, vindictam, caeterique attributis ita sentiat et sapiat, sicut revera ipsa se habent in Deo; bene ergo recte et pie de iis sentite, ut docet fides et propheta, non male, prave et impie cum epicureis, politis et atheis qui Deo adimunt providentiam, viam dietam aliaque attributa, ideoque ex Deo faciunt, vel truncum, vel caecodemonem. Unde Arabibus vertit, *percipite potentiam Domini perceptione recta*; basis enim et fundamentum reipublicae, iustitiae, regni, felicitatis, omnisque boni est religio verusque de Deo sensus, hic enim tam reges, quam subditos sacro metu percillit, et continet in sapientia et virtute, ut juste, pie, sancteque vivant, ne tantum numen offendant, bonorum et premiorum liberalissimus, ita malorum est ultor acerrimus; unde Iosaphat rex Juda iudices, Dei metu, urget ad iuste iudicandum, *II Paral.* xix, 6, dicens: « Videte quid faciatis: non enim hominis exercetis iudicium, sed Domini: et quodcumque iudicaveritis in vos reddundabit. Sit timor Domini vobiscum, et cum diligentia cuncta facite: non est enim apud Dominum Deum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido numerum. » Vidit hoc etiam Plato, qui proinde in *Protagora* et in *Eutyph.* iustitiam et religionem ita conjungit, ut unam eandemque virtutem existimet; vel ita invicem similes, ut qualis iustitia, talis sanctitas et religio futura sit; et qualis religio, talis administranda iustitia: nam, quemadmodum salus animae, ut ait Ecclesiasticus cap. iii, vers. 13, est in sanctitate iustitiae, sic caeterarum rerum salus atque felicitas ex eadem iustitia et religionis sanctitate, tanquam ex vero nobilitatis fonte profundit. Ex certa ergo et vera religione, certa et vera iustitia; et ex variis religionibus incerta et falsa omnia, aequalitas, societas, benevolentia, fides, id est rerum dictionumque constantia: si enim magistratus suae propagandae heresis causa, sibi fas esse credant subditos fallere, datam fidem annegare, iurjurandum violare, fallacis decipere, dolis illudere, omnia bella permiscere, quae inde in republicam seculera, quae flagitia, quae sacrilegia promanabunt et irumpunt? Quod jus ab iis reddi poterit, si fraudibus republicam gubernari, si dolosis artibus et imposturis populos irretiri posse non modo arbitrentur, sed etiam exsequantur? Ita

Josephus Stephanus, lib. *De Univ. relig.* cap. xiv.

Secundo, « sentite de Domino in bonitate, » id est in probitate, honestate, virtute, sanctitate: *ἀγαθῶν*: enim opponitur *κακῶν*, id est bonitas opponitur *malitia* et sceleris, q. d. Sentite et sapite de Deo, quod ipse sit probissimus, honestissimus, sanctissimus, iustissimus, adeoque fons omnis iustitiae; probitatis, virtutis et sanctitatis quam habent omnes angeli et homines, ideoque iustitiae et virtutis tutor et vindex severissimus

Audi S. Bernardum, lib. V *De Consid.* cap. xi et xii. Deum ita definitum, vel potius describentem: « Quid est Deus? voluntas omnipotens, benevolentissima virtus, lumen aeternum, incommutabilis ratio, summa beatitudo, creans mentes ad se participandum, vivificans ad sentiendum, afficiens ad appetendum, dilatans ad capiendum, iustificans ad promerendum, accendens ad zelum, fecundans ad fructum, dirigens ad aequitatem, formans ad benevolentiam, moderans ad consolationem, roborans ad virtutem, visitans ad consolationem, illuminans ad cognitionem, perpetuus ad immortalitatem, implens ad felicitatem, circumdans ad securitatem. Quid est Deus? non minus poena perversorum quam humilium gloria: est enim rationalis quaedam aequitatis directio inconvertibilis atque indeclinabilis, quippe attingens ubique, cui illa omnis pravitas, conturbatur necesse est. » Et inferius: « Deus, inquit, est cuius longitudo est aeternitas, latitudo charitas, sublimitas potentia, profundum sapientia. »

Tertio, « sentite de Domino in bonitate, » id est in benignitate et beneficentia, q. d. Sentite et sapite de Deo, non quod ipse sit severus, maleficus, crudelis, tyrannus; sed quod sit benignissimus et beneficentissimus omnium, etiam pauperum, miserorum, pupillorum et orphanorum pater, imo mater, tutor, provisor, protector, ac promove vos, o iudices, Deum imitantes causas pauperum sincere iudicate, nec eos patiamini a potentibus opprimi, aut eis ex metu vel spe causam contra iustitiam adjudicatis cogitantes itam, qui pater est pauperum et pupillorum, acerrimum eorum fore vindicem. Sic ut Psaltes, *Psal.* cvi, 1: « Constatemini Domino, quoniam bonus: quoniam in saeculum misericordia eius. » *Bonitas* Dei ergo est eius misericordia, clementia et beneficentia; unde Syrus vertit, *excogitate de Domino bonitatem*. Itaque quidam sic exponit: « Sentite de Domino in bonitate, » id est experientia discite Deum optimum, maximum, benignissimum esse, et excipiar unde omnem in vobis exprimere bonitatem debeatis: discite jugum illius suave esse, non durum, sed blandum; omni illius, non ponderosum, sed leve et jucundum: jugo enim si adsint suavitas et levitas, duobus praestat, quibus iure id appeti possit, non detrectari. Porro reges maxime decet imitari Dei bonitatem, id est benignitatem et beneficentiam; unde Curtius, lib. VIII, asserit « imperii majestatem salutis esse tutelam, » et Plinius, in *Paneg. Trajani*, docet principum esse bonitatem erga hominum genus, « ut benigne fangantur vice Dei; » et Theodorici rex apud Cassiodorum, lib. XXIX *Variar.* cap. xx: « Inter gloriosas, ait, reipublicae curas, quas perpeli cogitatione Deo auxiliante princeps suo revolvit corde, cordi quoque suo sit levamen humilium contra potentiam superiorum. »

Quarto, « sentite de Domino in bonitate, » id est in omni bono, quod triplex est, scilicet honestum, utile et delectabile, q. d. Sentite et sapite de Deo, quod ipse per essentiam sit summum, immensum et omne bonum, tam hominum, quam utile et delectabile, tam suum, quam hominis et creaturarum omnium; quae enim est fontalis, essentialis, formalis et causalis bonitas; unde Nazianzenus: « Bonitas, ait, non aliud est quam deitas, juxta illud Christi, *Luc.* xviii, 19: *Quid me vocas bonum? nemo bonus nisi solus Deus*: » ubi nota hebraismus: Hebraei enim verba connectunt, sive corporales, sive mentales, quale est *sentire*, construnt cum ablativo, ut *tingere* in oculo, in pede, in manu, est tangere oculum, pedem, manum. *Sentire ergo de Deo in bonitate*, est *sentire de Deo bonitatem*, quod scilicet Deus sit ipsissima bonitas, et ipsissimum bonum, q. d. Vos, o principes, qui estis Dei imagines, emulmini Deum quasi vestrum exemplar, sentite et sapite ejus bonitatem, ut sicut participatis ejus potestatem praeceteris, sic et praeceteris participetis ejus bonitatem; quemadmodum Dei bonitatem omnes creature sentiunt, cum ab eo hauriunt suum esse omneque bonum; sic et subditi haurientes a vobis sua commoda, vestram ubique bonitatem sentiunt.

Audi de bono et bonitate Dei divine disserentem Dionysium, cap. IV *De Div. nom.* initio: « Age ergo, jam ad nomen boni nostra veniat oratio, quod praecipue theologi ab omnibus secretum divinitatis, quae Deum superet, tribuunt, ipsam, ut opinor, divinam essentiam *bonitatem* appellantes, quod hoc ipso, quod bonum est, ut bonum per se et essentia sua, in ea, quae sunt omnia, bonitatem diffundat: ut enim sol noster non cogitatione, aut voluntate, sed eo ipso quod est, omnia illustrat quae ejus lumen pro modis suo capere possunt, sic etiam ipsum bonum, quod ita praestat soli, ut prima species tenui obscuraque imagine per se, ipsaque essentia sua iis, quae sunt, omnibus per eorum captu totius bonitatis radios emittit. » Et inferius: « Ex ipso bono lumen est, et bonitatis imago, etc.; estque eorum quae sunt mensura, et aeternitas, et numerus, et ordo, et complexus, et causa, et finis: sic etiam, qui clara expressaque divina bonitatis imago est, magnus hic sol totus lucens, ac semper splendidus, pro minima ipsis boni similitudine, omnibus etiam, quae ejus lumen capere possunt, collicet, habetque ejus per omnia diffusum, in omnem hanc mundum, quem certissimè, radio-rum suorum splendorem explians et sursum et deorsum, ac si quid est quod eos non participet, id ejus luminis diffusi tenuitatis aut parvitas non est tribuendum, sed iis quae, quia apta non sunt ad capiendum lumen, ad illud capiendum non explicantur. » Et pluribus interjectis ita concludit: « Omnis infinitas, terminus omnes, ordines, praestantiae, elementa, societas, omnis essentia

tu, vis omnis, omnis actio, libitus omnis, sensus nimis, omnis sermo, omnis mentis notitia, omnis factus, omnis scientia, omnis conjunctio, et uno nomine quodlibet est ex pulchro ac bono. Via pulchro bonoque est, atque ad pulchrum omnique referitur, et qua sunt ac fiunt, boni pulchrique causa et sunt et fiunt omnia, ipsaque omnia intrantur, et ab eo moventur ac continentur, etc. Quoniam ex ipso, per ipsum, et in ipso atque in ipsum sunt omnia, ut divina Scripta tradunt. Est igitur, id quod pulchrum est et bonum, expetendam, amandam, diligendam omnibus, » sive discere quid sit bonitas Dei, ac eaque bene digne sentire.

Porro *de sentitiis*, vel, ut S. Hieronymus legit, *sapientia*, non tantum ad iudicium, sed et affectum pertinet; unde Apostolus, « sapere ea, quae carnis vel spiritus sunt, » vocat concupiscere et toto affectu prosequi ea, quae carni vel spiritui contra modum gratiae sunt; sensus ergo est, *q. d.* Sentire Dei bonitatem, non tantum eam mente concipiendo, vel credendo, sed et toto affectu eam prosequendo, ut omnes curas, cogitationes, animique vires in eum intendatis, et expromatis. « Hinc fiet, inquit noster a Castro, ut qui bono animo sit erga Dominum sapientiae largitorum, quarecumque excellentia credat de illo, confidat illi in omnibus, etiamsi difficillimis, sustineat eum, etiamsi mala inferat; itaque sentit de eo non bonitatem, dum illi, tanquam optimo parenti se credit, tanquam omnipotenti, qui possit ad summam sapientiae fastigium evadere, et tanquam omniscienti, qui sciat ejus utilitati prospicere. »

Moraliter, hinc discere verum sensum deitatis, sive de Deo, esse sensum bonitatis, scilicet sentire de eo quod ipse per essentiam sit summum bonitatem et omne bonum, ac proinde summe benignus et beneficentis in omnes, ideoque summe amandus. Hinc de causa Deus, ut bonitatem et amorem suum immensum creaturis patefaceret, non tantum creavit angelos, caelos, animalia, homines, tantamque rerum varietatem et pulchritudinem, ut, quoties intueris bonitatem et pulchritudinem floris, gemmae, auri, herbarum, fructuum, animalium, stellarum, caelorum, totiusque mundi, toties in eis velut umbris, immensum sui bonitatem et pulchritudinem intueri et contemplari valeas; sed et Filium suum unigenitum misit in carnem, ut homines peccato purgatos et gehennae addictos, suis atrocissimis poenis et infamiae crucis morte redimeret. Vis ergo sentire quanta sit bonitas Dei? considera bonitatem Christi in cruce, quantum scilicet nuditatem, sim, tormenta, dolores, confusionem, infamiam, irrationes, etc., pro te vilissimum terrae vermenem, inno peccatorem, paliat, idque sine ullo suo commodo, sed tantum hoc fine et fructu ut tibi beneficeret, ut tu sis salvus, liber et beatus. Christus ergo tua malicia, infirmitates et tor-

menta in se suscepit, ac eorum loco tibi sua beneficia, virtutes, premia et gaudia contulit, ut tibi bene esset: « crux ergo est academia divinae bonitatis » et amoris purissimi aequae ac immensi, ut in ea Christum contemplans cogor, quantum tempore exclamare: O bonitas, o amor, quoniam me amasti, quam caro pretio me redemisti! quanta bona tuis malis mihi contulisti! quid tibi, Domine Jesu, pro tantis bonis retribuam? omnia ossa mea dicent: « Domine, quis similis tibi? » *Psalm.* xxxiv, 10. Amasti me, Domine, nimis amasti; etsi tibi mille animas, mille vitas impenderem, quid haec sunt ad vitam tuam, quae vita est Dei? misericordias tuas, Domine, in aeternum cantabo. Imitabor tuam bonitatem, ut amore tui quibuscumque possim beneficiam, ad commodum non tuum, sed meum. Imitabor tuam humilitatem, amorem, sanctitatem, ac eam omnibus imitandam proponam, dicamque cum Apostolo, *Philip.* ii, 5: « Hoc enim sentite in vobis, quod et in Christo. » *esu*: qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo: sed semetipsum exinanivit (ex omni factus est quasi inane et nihil) formam servi accipiens, in similitudinem nominum factus, et habita inventus ut homo. Humilavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. » Hoc ergo opus incarnationis Verbi, passionis et crucis non indignum, sed omnino dignum fuit Deo Deique bonitate; imo optimum fuit, ideoque divinissimum, et soli Deo proprium: nulla enim re Deus immensam suam bonitatem orbi patefacere potuit, nisi Verbi descensu in carnem et cruce, ut ex eo plane colligas, non angeli, non hominis, sed Dei solius immensi immensam hanc bonitatem et philanthropiam existisse: hoc est quod cantat *Isaías*, cap. lv, vers. 9: « Sicut exultant caeli a terra, sic exaltate sunt vis meae a vis vestris, et cogitationes meae a cogitationibus vestris. »

Symbolice, « sentite de Domino in bonitate, » non tantum intellectu, sed et affectu, ut sensus intellectus consentiat sensus voluntatis, ut scilicet bonitatem Dei recte et mente concipiatis, et voluntate ametis, et moribus exprimat, juxta illud, *Psalm.* cx, 10: « Intellectus bonus omnibus facientibus eum; » vel, ut legit S. Hieronymus, *doctrina bona his, qui faciunt eam*: ita Cantacuzenus. Mystice S. Bonaventura: « Sentite de Domino in bonitate, inquit, qui S. Scripturam, quae Dei est verbum, pie legit ac intelligit, non redarguendo, sed approbandum et exsequendo. »

Et in simplicitate cordis querite illum. — S. Hieronymus, lib. I *Contra Pelagianos*, addit, in sapientia et simplicitate cordis querite Deum, quasi simplicitas sit sapientia; jam primo, simplicitas haec opponitur duplicitati, calliditati, hypocrisis, dolo et fictioni; « caret enim merito simplicitatis omni arte elicita, et fraude compositum, » ait S. Ambrosius, lib. III *Offic.* cap. ix

unde sequitur vers. 5: « Spiritus Sanctus discipline effugiet factum, » *q. d.* Querite Deum corde simplici et sincero, non duplici, ficto et simulato, ne de vobis dicatur illud, *Isaías.* xxix, 13, et *Matth.* xv, 8: « Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longe est a me: » nam, « vae duplici corde » (qui, ut acule ait Persius, sat. 3:

Asinum rapido servat sub pectore vulpem.)

Ecclesi. ii, 14; et *Jacob.* i, 8: « Vir duplex animo, inconstans est in omnibus viis suis. » Porro B. Doctrotheus, *doctrina* 4, premium assignat: « Si enim, inquit, quis querat Deum Deique voluntatem simpliciter, dabit illi Deus etiam pauperum, qui eum deceat, si doctor desit, ne ille labatur; sin simulate quis querat Deum, Deus vicissim dabit ei simulatum doctorem, qui eum in errorem et laqueum inducat. » Audi S. Gregorium in *Psalm.* v *parit.* vers. 3: « Sentite de Domino in bonitate, et in simplicitate cordis querite illum: cordis enim simplicitas dies est, quam fraus non obnubilat, non obfuscat dolus; quam lux veritatis illuminat, praesentiae divinae claritas illustrat; scriptum est enim *Proverb.* iii, 32: Cum simplicitate sermone tuo. Deo autem sermone tuo, est per se praesentiae illuminationem humanis mentibus voluntatis suae arcana revelare. Cum simplicibus igitur Deus sermone dicitur, quia illorum mentes de arcanae coelestibus suae inspirationis claritate illuminat, quos nulla caligo dupliciter obumbrat: quod contra de non simplicibus dicitur *Psalm.* v, 7: *Virum sanguinum et dolosum abominabitur Dominus*; et Salomon ait *Sapient.* i, v: *Spiritus sanctus disciplina effugiet factum, et auferet se a cogitationibus quae sunt sine intellectu.* Constat ergo quia istos inhabilitando illuminat, illos recedendo exoccat. »

Secundo, haec simplicitas opponitur curiositati. *q. d.* Nolite curiose scrutari Dei majestatem, providentiam, essentiam, ceteraque ejus arcana, v. g. quomodo sit trinus in personis, et unus in essentia, sed simpliciter credite, quod fideles et Ecclesia de eo credendum docet: ita explicat S. Cyrilianus, lib. III *Testim.* cap. lxx, citaque illud *Ecclesi.* vii, 47: « Noli esse justus nullum, et noli argumentari plisquam oportet. » Huc accedit Glossa, Holcot, et Hugo, qui sic explicat, quasi moneretur homo Scripturam sacram, per quam Deus agnoscerit, pie, humiliter et studioso legere et intelligere, neque reprehendere quas non clare percipit, imo fide certa tenere: nam juxta illud, *Isaías.* vii, 9: « Si non crederideris, non permanebis; » Septuaginta, non intelligemus; neve in adversos solis radios noctuae intueamur, caventes ne « scrutatores facti majestatis, opprimamur a gloria; » et quia fidei luce illuminate mentes flammam concipere debent charitatis, ideo subjungi aint querite, quod fulgore ardentis amoris fit.

Tertio, S. Augustinus, lib. I *De Serm. Domini in*

monte, cap. vii, simplicitatem accipit pro puritate, ut opponitur mixtioni: simplicitas enim sunt pura, mixta sua impura, ut pote ex variis confusa, *q. d.* Simplici, id est puro corde, querite Deum: scriptum est enim, *Matth.* v, 8: *Beati mundo corde: quoniam ipsi Deum videbunt.* « Hoc est mundum cor, ait S. Augustinus, quod simplex cor, et quemadmodum lumen hoc videri non potest, nisi oculis mundis, ita nec Deus videtur, nisi mundum sit illud quo videri potest. » Hunc quoque esse sensum liquet ex eo quod subdit vers. 3: « Perversae enim cogitationes separant a Deo; » et vers. 4: « Nec habitabit in corpore subdito peccatis. »

Quarto, plane et plene, hebreum \square *tan tam* et \square *tan tam*, quod Noster vertere solet, simplicitatem et simplex, significat integritatem et perfectionem, atque integram et perfectum; sic Job, cap. i, 1, dicitur *vir simplex*, id est integer et perfectus: ex adverso de idololatriis et impiis, ait Ossee, cap. ix, vers. 2: « Divisum est cor eorum, nunc interibunt. »

Jubet ergo Sapiens, ut homines, praesertim principes, non dimidiato, imperfecto, languido, sed integro, perfecto, constanti fortique corde querant Deum, ut dimidium cor non dent mundum, dimidium Deo, sed totum quantum quantum est Deo: quod fit per plenam charitatem: unde Robertus Holcot per simplicitatem accipit charitatem, *q. d.* Sentite de Domino in bonitate, id est bene per fidem, et querite eum in simplicitate cordis per charitatem. S. Hieronymus vero in *Isaías.* lv: « Querite Dominum, ait, dum inveniri potest; querite, non loco, sed fide et penitentia. » Hinc rursum simplicitas a nonnullis accipitur pro candida liberalitate, juxta illud *Rom.* cap. xii, 8: « Qui tribuit in simplicitate; » et I *Corinth.* vii, 2: « Altissima paupertas eorum abundavit in divitiis simplicitatis (id est beneficentiae et liberalitatis) eorum; » et cap. ix, vers. 11: « Ut in omnibus idcupletati abundent in omnem simplicitatem, id est candidam liberalitatem, uti ibidem explicat S. Chrysostomus, Theodoretus et alii. Sic sensus erit hoc loco, *q. d.* Querite Deum largo et liberali corde, non arcto et stricto: ipse enim uti liberalissimus est, ita liberale cor requirit, id est latum, amplum, ad omnia paratum, magna desiderans et molens, ut in illud velut vas capax divitias suae gratiae et liberalitatis effundat.

Symbolice Dionysius Cartusianus: « Querere Deum in simplicitate, inquit, est Deum per abstractionem et simplicitatem intellectus cognoscere, quod ipse sit summe simplex. »

2. QUONIAM INVENITUR AB HIS, QUI NON TENTANT (Arabice, non contristant) ILLUM. — APPARET AUTEM HIS QUI FIDEM HABENT IN ILLUM. — GRECO, *τὸ πρὸ ἀποστόλων ἀδελφῶν*, id est non incredulis ipsi; Vatablus, et his qui non disfidunt ipsi exhibet se; Syrus, *revelatur eis qui credunt in illum*; Arabicus, *qui illum mendacem non efficiunt*; S. Hieronymus in *Zachar.* cap. viii, legit, *appropinquat Dominus his qui non*

tentant cum, et ostendit faciem suam his qui non sicut increduli, id est his qui credunt in eum. Est miris, dicitur enim minus, et significatur majus, scilicet per negationem incredulitatis significatur credulitas et fides, uti Noster solerter advertit. Confirmat quod dixit : « Sentio de Domino in bonitate, et in simplicitate cordis quaerite illum. » Confirmat autem ex fructu et premio, quod scilicet inveniat ab his, qui non tentant eum, sed in simplicitate cordis quaerunt eum, et apparet his, qui in bonitate de eo sentiunt, hoc est, qui fidem habent in illum : est enim conversio, quia prius hemistichium respondet posteriori hemistichio versus praecedentis, posteriori vero priori : simplicitati enim opponit tentationem, bonitati incredulitatem et diffidentiam; sensus ergo est, o. d. Simpliciter et sincero corde, non dubio et tentativo quaerite Deum, sic eum invenietis : a talibus enim invenitur; atque recte de eo ejusque bonitate sentite, illi credite, illi fidite, sic enim vobis apparebit. Hac accedit noster a Castro : Rationem reddit, inquit, ejus quod dicitur est, Dominum simplici corde et sincero animo quaerendum, ac maxime fidei credendum, absque dubitatione ulla, quod possit, sciat velitque largiri, quod postulat : namque accedunt ad eum diffisi, possunt exploratori ejus potentiam, sapientiam et bonitatem, quod de ea dubitent, vel non habeant illam compertam; hi tentant Deum, et gravissime delinquant, et non solum non invenient quod quaerunt, sed tanquam Deo contumeliosius longius repellentur. Addit a Castro : Unde idem est, sentire de Domino in bonitate, et simplici corde quaerere illum, quod non tentare, ac fidem habere in illum. Intellige haec quatuor idem esse, non proprie et precise, sed ample et finaliter, quia scilicet eodem omnia tendunt.

Tentant Deum primo, infideles, qui cum Deo, quasi cum idolo lapideo, mortuo et sensus experte agunt, quod proinde externis tantum ritibus et gestibus colunt; secundo, qui Deo negant scientiam, potentiam, providentiam rerum humanarum, ac injustitiae scelerumque vindictam, aut ejus periculum facere volunt; tertio, qui suo ingenio, opibus, viribus confidunt, non Deo : sic diabolus tentavit Christi divinitatem, *Math. iv, 2*, Iudei ejusdem potentiam, dum ab eo poposcunt miraculum, *Math. xii, 38*; item justitiam, dum ab eo postulaverunt vespitiam, *Math. xvii, 23*; item sapientiam, dum modum resurrectionis ab eo vestigarunt, *Math. xxii, 24*; item clementiam, dum et obtulerunt adulteram ad condemnationem, *Joan. viii, 5*; item obedientiam, dum quaerunt : « Licet censum dare Caesari, an non? » *Math. xxii, 17*.

Porro credunt in Deum, primo, qui de eo rectam habent fidem, et orthodoxe sentiunt; secundo, qui in eum confidunt; tertio, qui illi fideles sunt, ejusque mandatis fideliter obediunt, juxta *Psalm. lxxvii, 7* : « Ut ponant in Deo spem

suam, et mandata ejus exquirant. » Sic dicitur, *Eccli. i, 36* : « Ne sis incredibilis timori Domini, id est religioni et cultui Dei fideliter pareto; set ne accesseris ad Deum duplici, id est ubi duo fiotique a corde. » Hinc S. Gaudentius, tract. *De Dedicat.*, probare contendit S. Thomam, antequam Christus post resurrectionem illi apparet, non fuisse incredulum : nam hic dicitur : « Apparet autem eis, qui non sut. increduli. » Igitur quod a Christo culpetur ut incredulus, non tam ad Thomam, quam ad posteros spectare, qui credere debeant quod non viderunt, uti Thomas creditit Christum resurrexisse, etiamsi eum non viderat, quia apostolis dicentibus se eum vidisse creditit. Hac propria est ejus opinio : nam alii consent Thomam vere fuisse incredulum : hoc enim plane significat reprehensio Christi. Fuit ergo Thomas, partim credulus, partim incredulus : credulus, quia creditit Christum fuisse prophetam verum, ac virum sanctum et Messiam; incredulus, quia non creditit eum resurrexisse. Christus ergo apparuit ei quasi credulo, ut reliquum incredulitatis ab eo abstergeret, uti de facto absterisit, cum Thomas tangens ejus cicatrices exclamavit, *Joan. xx, 28* : « Dominus meus, et Deus meus. » Adde etiamsi Deus ordinarie apparet his qui credunt in eum, non tamen solis his, nam saepe apparet his qui non credunt in eum : tanta enim est Dei bonitas, ut sua luce et gratia praevaleat infidelibus, ut credant, et impios, ut convertantur ad Deum : de fide enim est, gratiam Dei praeveneri nostrum arbitrium, adeo ut sine illa nil quod ad salutem conducit, efficere queat, ut passim contra pelagianos docet S. Augustinus, et ex eo Concilium Tridentinum, sess. VI. Sic Deus praevient gentiles, idola colentes, dum ad eos misit apostolos, qui eos ad Deum verum traduxerunt, juxta illud, *Isai. lxx, 1* : « Quaesierunt me qui ante non interrogabant, invenerunt qui non quaesierunt me; » vel, ut Paulus ex Septuaginta citat *Rom. x, 20* : « Inventus sum a non quaerentibus me, palam apparui iis qui me non interrogabant : » ubi enim quis gratia praevenerit consentiens Deum quaerere pergit, tunc ulique plenus et perfectus apparet ei Deus per lucem et gratiam majorem, quae eum ad justitiam, sanctitatem, perfectionem et tandem ad gloriam aeternam perducit et provehit.

Deus autem quaesitus apparet variis modis, primo, in creaturis omnibus et singulis : in his enim velut suis operibus et effectibus relictus ipsi Creator, juxta illud, *Psalm. xviii, 1* : « Caeli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiant firmamentum; » et *Rom. i* : « invisibilia Dei, a creatura mundi, per ea quae facta sunt, intellecta, conspiciuntur : sempiterna quoque ejus virtus, et divinitas : » vide S. Augustinum in *Solitiloquiis*, cap. xxxi, ubi singulos sensus et singulas creaturas interrogat de Deo, et singulas

respondent : Non sum ego Deus, sed qui creavit me, ipse est Deus meus. Secundo et proprie, in S. Scriptura : ibi enim Deus se, suasque virtutes manifestat, ac praesertim in hoc libro Sapientiae, q. d. Vos, o sapientiae studiosi, praesertim rectores hominum, quaerite Deum, sapientiae fontem in S. Scriptura ac in hoc Sapientiae libro : si enim hunc sincere et studiose legeritis, utique quis, qualis et quantus sit Deus, invenietis. Tertio, in Ecclesia : si enim Ecclesiae praesides et doctores quis consulat, utique de omni re, quae ad Deum Deique cultum pertinet, eum instruent : hac enim de causa Deus in Ecclesia posuit apostolos, prophetas, pastores et doctores, scilicet « ad consumptionem sanctorum in opus ministerii, in edificationem corporis Christi, » *Ephes. iv, 11*. Quarto, quaeritur et invenitur Deus in oratione et exercitio virtutum, praesertim elemosynae : orationi enim vacantes Deus interior illuminat, ut se et ea quae sunt salutis cognoscant : sic invenit Deum Cornelius centurio, *Act. x, 5*, cum oranti apparuit angelus jubens vocari S. Petrum, qui eum in fide Christi instrueret. Simili modo ait S. Thomas, Quaest. XIV *De Veritate*, art. 11, ad 1 : Si quis gentilibus plene servaret legem naturae, Deumque invocaret, Deus predicatorum, etiam angelum, si opus foret, mitteret, qui eum de rebus Dei et salutis informaret. In litteris Indici exstant varia raraque hujus rei exempla. Quocirca vere dixit Sixtus, non pontifex, uti falso censuit philosophus, sed philosophus in *Sententia* : « Bona mens chorus est Dei, mala mens chorus est demonum. Templum sanctum Deo est mens pii, et altare optimum ei cor mundum et sine peccato. »

3. PERVERSAE (Arabibus, *difficiles et perverse*) ENIM COGITATIONES SEPARANT (Sytus, *elongant*; Vatablus, *alienationem faciunt*) A DEO : PROBATA AUTEM VIRTUS CORRIPIT INSPIENTES. — Pro *perverse cogitationes*, graece est *κακὰ λογισμῶν*, id est *tortuosi, perplexi, flexuosi, incurvi, distorti, iniqui, pravi, versuti, maligni discursus*, cogitationes, rationationes, sensus, vel etiam machinationes; opponit enim *sentire de Deo in bonitate*, *perverse de Deo cogitationes et sensus*, q. d. Sicut boni rectique de Deo sensus hominem conjungunt Deo, sic pravi et distorti de eo ejusque providentia sensus, cogitationes et opiniones hominem ab eodem avellunt et separant, ac consequenter separant a vera religione, justitia et virtute. Idem faciunt cogitationes et machinationes rectorum impiorum, quibus contra jus et fas mira caliditate exogitant modos congerendi opes, suosque status augendi cum damno subditorum, imo cum jactura fidei et religionis, quales sunt cogitationes politicorum, qui religionem faciunt subservire pollicae et regno. Unde S. Julius Pontifex, *Epist. incerp.* ad episcopos orientales, quae habetur tom. I Concilii : « Recordamini, inquit, Sapientiam, quae ait, cap. i, 3 : *Perverse enim cogitationes separant* (homines) a

Deo (quanto magis opera iniqua)? probata autem virtus portat, protegit et consolatur oppressos, et docet insipientes. » Succidi verba Julii, quia proluxiora. Rursum, quaeritis alia prave cogitationes, v. g. de rapiendo, fornicando, calumniando, occidendo, separant hominem a bonitate, virtute et lege, ac consequenter ab eorum auctore et tutore Deo; unde S. Bernardus, serm. 3 *De Spiritu Sancto* : « Quia, inquit, perverse et immunda cogitationes separant a Deo, orandum est, ut cor mundum creetur in nobis; quod utique fiet, si Spiritus divinus fuerit in visceribus nostris, in nobis et erga nos sanctus, erga proximos rectus, erga Deum principalis, » *Psalm. l, 42, 43, 44*. Proclare S. Augustinus in *Psalm. lxxiii*, ad illa : *Defecerunt scrutantes scrutatio* : « Vide, ait, quid contingat animae male : recedit a luce veritatis, et quia ipse non videt Deum, putat se non videri a Deo : sic et isti recedendo ierunt in tenebras, ut ipsi non viderent Deum, et dixerunt, *Psalm. xciii, 7* : *Quis nos videt?* » Sub *cogitationibus* intellige volitiones, nuda enim cogitatio prava, si non sit volta, non separat a Deo : sed si voluntas ei acquiescat vel expresse vel tacite, separata a Deo : certum enim est cogitationes, quae rationis advertentiam et volentis consentium preveniunt, quales sunt motus primo primi, non esse peccata; nil autem separata a Deo, nisi peccatum.

Porro cogitationes, nisi illico, cum earum innotestas et turpitudine a ratione advertitur, abigantur, incipiunt placere voluntati, eamque deducunt ad desiderationem morosam, quae si in materia graviter velit versetur, est peccatum mortale. Cogitationes pravae ergo sunt quasi scintillae, quae nisi statim extinguantur, cupiditatis ignem, et tandem ingens incendium excitant. Ad haec, cogitationes eadem sunt velut gemmae, sive haec arborum primo germinantium, quae dum aperiantur, pariunt flores pravarum voluntatum, qui tandem vertuntur in fructus pravorum operum : sicut vice versa bone cogitationes sunt gemmae, ex quibus prodeunt flores bonorum desideriorum, et fructus bonorum operum, uti docet S. Chrysostomus, homil. 39 in illud *Math. cap. xxi, 19* : « Videns fici arborem unam secus viam, venit ad eam : et nihil invenit in ea nisi folia tantum. » Summe ergo invigilandum est cogitationibus, eaeque, si prave deprehendantur, illico ad petram legis divinae alidende et elidende sunt, juxta illud :

Principis obsta, sero medicina paratur,
Cum mala per longas invaluere moras.

Hinc de fide est, non solum opus externum, v. g. fornicationem, calumniam, homicidium, sed et internam eorum cogitationem ac volitionem esse peccatum mortiferum, ut contra Iudaeorum sensum docet Ecclesia, et satis insinuat Christus, *Math. v, 22* et 28. Hinc inferi S. Chrysostomus peccatum secum afferre summam poenae,

licet separationem a Deo : audi eum, homil. 6 ad Populum : « Magnum supplicium est peccare, etiam si non puniamur; peccata enim nos a Deo separant, Sapient. 1, 3, pena vero nos ad Deum perducunt. Si quis vulnus habeat, quid timere dignum est, saniem, an medici sectionem? ferrum, an oleosis populationem? peccatum, sanies est; pona, ferrum medicinale: sicut enim sanium habens, etsi non secatur, male habet, et cum non secatur, tunc est in majoribus malis: ita peccans, etiam si non puniatur, omnium est miserissimus, et tunc maxime miser, cum non puniatur, et grave nihil patitur. »

PROBATA (Arabicus, *exquisita*) AUTEM VIRTUS CORRIPIT INSPIENTES. — Syrus, *redarguit contemnentem*. Hic virtus non moralis, sed physica intelligitur, puta potentia, robur et vis agendi: hanc enim significat graecum *δύναμις*, quod multos interpres graeco ignorantes fefellit, qui per virtutem accipiunt honestatem et probitatem; unde sic exponunt, q. d. Virtus hanc habet vim in eo, qui illa praeditus est, ut eum faciat aptum ad corripiendum insipientes, qui per ignorantiam, vel infirmitatem peccant: ita Lyrantus et Dionysius; aut, q. d. Fides est, quae a mente auferit insipientiam, id est Holcot et Hugo; verum graeco est *δύναμις*, id est potentia, non virtus ethica, ut dixi. Sensus ergo est, q. d. Virtus, id est potentia Dei per multos suos actus et effectus probata corripit et castigat insipientes, qui prave de Deo sentiebant, peruersasque de eo cogitationes conceperant, q. d. Rectores iudices et quivis qui insipienter de Deo sentiebant, dum vident, vel considerant praeteritos vel presentes effectus divinae potentiae et providentiae, quibus iniustus et impius castigavit vel castigat, hoc argumento et hac experientia adeo probata convicti, possunt debentque agnoscere et corrigere suum sensum et errorem; ac reipsa saepe vel inviti, vel sponte cedentes eundem agnoscunt et corrigunt: ita Bonaventura, Vatablus, Clarus, Jansenius et alii. Alludit Sapiens ad illud, *Psalm.* xxxi, 10: « Dominus dissipat consilia gentium: reprobat autem cogitationes populorum, et reprobat consilia principum. Consilium autem Domini in aeternum manet: cogitationes cordis eius in generatione et generationem. » Accedit Orosius, qui explicat de virtute et potentia, non Dei, sed rectorum et iudicum, q. d. Dum ipsa potentia rectorum a Deo probatur, imminuitur, auferitur, tunc reipsa ipsi corripuntur et convinctur, ut negare non possint se insipientes de Deo habuisse opiniones, ac peruersas cogitationes et sensus; unde Vatablus et Guarinus verant, *potentia dum tenditur, arguit insipientes*.

Verum melius accipias de virtute, id est potentia, non iudicum, sed Dei, haec enim castigat et corripit insipientes; igitur sicut puer protervus non timet matris minas, nec servus heri, nec discipulus mazistri: cogitat enim minas esse minas,

hoc est, esse verba quae aereum, non verbera quae carnem feriant: cogitat enim matrem esse matrem, ideoque vel non velle, vel non posse castigare filium adeo dilectum et validum; at dum mater verba vertit in verbera, et virga pulsat pueri dorsum, tunc probat illi suam virtutem, ac puer cogitationem et sensum, quem habebat de matris minis, deponit corrigitque suum errorem et insipientiam: eodem prorsus modo rectores iudices et quivis impii, dum audiunt doctorem et concionatorum minas de Dei vindicta, non errant, imo rident, cogitant enim Deum, vel non scire, vel non curare res humanas, aut se suum status ita stabilivisse, ut ab eis, ne a Deo qui demeriti possint; at dum de facto eis excidunt, aut similem Dei vindictam in se vel aliis probant et sentiunt, tunc priores suos peruersos *λογισμούς*, id est *discursus*, cogitationes et sensus corrigunt, ac vel inviti de Deo Deique providentia et vindicta recte sentire incipiunt. Dei ergo potentia potens, quae vindicta corripit insipientes, id est impios, a suis pravis opinionibus, quibus vel impotentiam, vel incuriam rerum humanarum Deo ascribunt, cum scilicet contrariam eius potentiam atque eam vindictamque cum suo dolore et damno experiant. Hoc est quod vulgo dicitur: Stulti non credunt sanetis, donec faciant miracula; hinc praeter ceteris credunt S. Antonio, quia crebro potentem eius manum, ignemque sacrum ab eo incredulis immissum persentiscunt.

Paulo aliter explicat Cantacruzenus, q. d. Curiose quaestiones deviant a Deo: quare dum curiosi temere Dei potentiam tentant et scrutantur, hanc curiositate hedunt aciem mentis, produuntque suam demeritiam: « qui enim scrutator est majestatis, opprimetur a gloria. » *Proverb.* xxy, 27.

4. QUONIAM IN MALEVOLAM ANIMAM NON INTROIBIT SAPIENTIA, NEC HABITABIT IN CORPORE SUBITO PECCATIS. — Pro malevolam nervosius Complutenses et Pagninus legunt *malivolam*: graeco enim est *κακότης*, id est *mala fabricantem*, mala machinantem, dolos et fraudes versantem, maleficam, quae res bonas et sinceratas adulterat, vitiat et corrumpit; unde S. Hieronymus legit *malitiosam*; Syrus, *malis involutam*; Arabicus, *in malevola anima artificium*, sive *machinationem nullo modo introibit sapientia*; S. Bernardus, *malignam*; Vatablus et Guarinus, *contradictentem vero et invidiam*; Jansenius, *malivolam et maleficam, quae mala arte callida nocet*; Hugo, Lyrantus et Dionysius, *complacentem sibi in malitia*; Clarus, *quae omni studio et arte studeat malo, praesertim quae iustitiam per vim vel dolum violat, fraudibus alios circumvenit, per fas et nefas se suaque adaugeat, ut faciant tyranni*. Probat quod dixit vers. praeced., peruersas cogitationes separare a Deo, ex eo quod in malevolam animam non introibit sapientia, quae individua est comes, imo sedes et thronus Dei; unde S. Hierosymus in *Isai.* cap. lxiii sic legit, aut potius paraphrastice explicat:

« Affixerunt spiritum sancti eius, quia Spiritus Sanctus recedit a corpore subito peccatis, et in peruersam animam non ingreditur sapientia: » sic sapientia non introit in peccatam animam Absalonis, ait S. Paulinus, *epist.* 4 ad Severum.

Quaeres, quoniam est haec sapientia? Primo, Cyrillus Alexandrinus, lib. 1 in *Joan.* cap. iv: « Sapientiam hanc, quae in malevolam animam non ingreditur, esse autocognitionem mysteriorum, et malignam animam esse cuiusvis haeretici, hypochritae, infidelis, etiam ad perspicua nicantis. » sic et Chrysostomus tom. II, in id *Matth.* cap. viii, vers. 9: *nam et ego homo sum sub potestate constitutus, agens contra haereticos*: « Vide, inquit, quomodo homo gentilis, rusticus et miles veritatis mysteria agnovit, videlicet supremam potentiam Christi; et homines christiani denegant veritatem, qui Scripturas portant in ore, non quia obscura sunt aut profunda mysteria veritatis, nam omnes ea cognoscunt; sed quia peruersa sunt corda eorum, et ubi non quiescit Spiritus veritatis, veritas fugit ab eis; scriptum est enim, *Sapient.* 1, 4: *In malevolam animam non introibit sapientia*: » sic et S. Basilius, *epist.* 141, S. Hieronymus in *Jerem.* viii, et Anastasius Nicenus in *Quest.* S. Script. *Quest.* xviii. Secundo et genuine, per sapientiam accipe non speculativam, sed practicam, quae non aliud est quam prudentia, virtus, probitas, Dei timor et cultus, ut dixi initio: haec enim non intrat in malevolam animam, cum tamen subiacet infret sapientia speculativa; unde S. Augustinus in *Retract.* lib. 1, cap. iv, retractat id quod in *Soliloquiis* dixerat: « Deus, qui nisi mundos verum scire noluit. » Hinc ex diametro sibi adversantur, sapientia et voluptas, puta gula et libido; unde Plato, lib. XI *De Legibus*: *Venus, inquit, dicitur quasi coniuncta et coniuncta, q. d. Via mentis, aut ve, id est sine mente*; sic resarus dicitur *sine, sive carens sanitate; vecors sine, sive carens corde*, puta excors; et Cicero, teste Plutarcho in *ejus Vita*, negabat se posse philosophari, et simul uxori vacare.

Anagogice per sapientiam accipe dulcedinem divinae contemplationis, hanc enim non degustant animae malevolae, sed bonae et purae: ita S. Bernardus in *Scala claustr.*, et alii. Quocirca S. Gregorius Nyssenus, tract. *De Forma perfecti christiani*, hanc formam in eo solum esse docet: « Si quis, inquit, vere sit templum Dei, nullumque malitiae simulacrum contineat, is a Mediatore admittitur, cum purus sit, et ad puritatem ipsam suscipiendam idoneus: neque enim in malevolam animam, ut scriptum est, introibit sapientia. » Idem, *De Virgini*, cap. xv: « Animus, inquit, qui Deo vivit, non ullis rebus se oblectaverit, quae sibi ex errore quodam non veram honesti speciem praebent: sin ex aliqua affectione vitii maculam cordi contraxerit, specialis ipse matrimonii iura recedit, atque ut in divinis litteris scriptum extat, *Sapient.* 1, 4: *In malevolam animam non*

intrabit sapientia. » Quocirca Guaricus abbas, qui floruit anno Domini 1170, serm. 4 *De Adventu*: « Qui igitur, inquit, viam Domini parare festinas, primo omnium bona sit voluntas; quoniam in malevolam animam non introibit sapientia, » *Sapient.* 1, 4.

NEC HABITABIT IN CORPORE SUBITO PECCA. — Graeco, *καταργησθήσεται*, id est *peccato obnato*, oppignorato, ac velut aere peccati obnato et obstricto, atque, ut Syrus verbit, *reo et condemnato*. Est metaphora a debitorum aere alieno oppresso: « qui » enim « facit peccatum, servus est peccati, » inquit Christus, *Joan.* viii, 34, ac proinde diabolo, quia mactor est peccati, obligatus et obstrictus; unde Apostolus, *Rom.* vii, 14, ait se venundatum sub peccato. Per corpus peccatochico hominem accipe, corpus enim est peccati aequae ac suppleti, puta tam culpe quam pene officina. Pineda, lib. III *De Totius Salomonis*, cap. xix, num. 4, exemplum dat Salomonem: spiritus enim sapientiae recessit a Salomonis anima, et corpore voluptatibus inquinato, et libidinibus subdito; unde S. Augustinus, lib. xvii *De Civit.* viii: « Rex ille, inquit, aliquando sapiens sapientiam, quam amore spirituali adeptus fuit, amore carnali amisit: » in hunc duo amores sunt contrarii, et antagonista, ut unus alium expellat. Sic et a Davide, ait S. Basilius in *Psalm.* xxxvii, idem spiritus recessit, cum is animam et corpus pollutit adulterio et homicidio; unde penitens orat, *Psalm.* lxxv, 13: « Et spiritum sanctum tuum ne auferas a me. Redde mihi beatitiam salutaris tui: et spiritu principali confirma me: » libido enim et zelus obsecant mentem milleque errorum tenebras menti offundit, quas dissipat sapientia, id est poenitentia, castitas, sanctitas. Noster a Castro per peccatum accipit peccatum diffidentiam; quae quis diffidit Deo, et callide tentat Dei potentiam et providentiam; alii accipiunt peccata iniustitiae, tyrannidis, rapinae, fraudum, etc. Plane et pleno accipias quaelibet peccata mortalia, haec enim omnia et singula fugant sapientiam, id est Dei gratiam et charitatem; unde S. Thomas, II II, *Quest.* xlv, art. 4, ex hoc loco docet sapientiam practicam, quae est donum Spiritus Sancti, presupponere charitatem, ideoque non posse consistere cum peccato mortali.

Praclare S. Augustinus, lib. *De Agone christiano*, cap. xiii: « Errat, inquit, quicquid putat veritatem se posse cognoscere, cum adhuc nequiter vivat: nequitia est autem mundum istum diligere, et ea, quae nascuntur et transeunt, pro magno habere, et ea concepit, et pro his laborare ut acquirantur, et letari cum abundaverint, et timere ne pereant, contristari cum pereant: talis vita non potest puram illam et sinceram et incommutabilem veritatem, et inherere illi, et in aeternum non moveri. » Denique S. Thomas, II part. *Quest.* xxvii, art. 4, ex hoc loco probat, in B. Virgine nullum fuisse pec-

catum actuale, ne veniale quidem, quia in ejus utero Sapientia Dei corporaliter habitavit; idem dicas de peccato originali: qui enim aliquando huic subiecit, necesse est ut aliquando peccet, saltem venialiter; unde, quæ ab omni veniali per totam vitam immunis est, immunis est quoque ab originali. Hanc regulam tradit S. Augustinus, lib. V *Contra Julianum*, cap. IX. Idem, libro *De Natura et gratia*, cap. XXXVI, ait: « Excepta itaque sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini, nullam prorsus, cum de peccatis agitur, volo habere questionem; unde enim scimus, quod ei plus gratie collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere ac parere meruit eum, quem constat nullam habuisse peccatum; » pro unde nonnulli legunt *inde*. Porro ex eo quod ait: « Spiritus Sanctus, etc., non habitabit in corpore subito peccatis, » a contrario collige: ergo habitabit in anima et corpore subito charitati et virtutibus; hoc est enim palatium, imo thronus et templum Spiritus Sancti.

5. **SPIRITUS ENIM SANCTUS DISCIPLINÆ EFFUGIET FICTUM, ET AUFERET SE A COGITATIONIBUS, QUÆ SUNT SINE INTELLECTU, ET CORRUMPIETUR A SUPERVENIENTE INQUITATE.** — Spiritus enim Sanctus et correptio fugit a fraude (Arabibus, a dolo), et elongatur (Arabibus, *avolat*) a cogitationibus eorum, qui sine scientia intelligentia sunt. Græcæ habent, *sanctus enim spiritus disciplinæ effugiet dolum, sive fictionem. Ubi primo, sanctus spiritus disciplinæ potest accipi ipsa sancta disciplina, quam vers. præced. vocavit sapientiam: hæc enim est spiritus, id est spiritualis dos et qualitas, ut probet id quod dixit, sapientiam non intrare in malevolam animam, ex eo quod sapientia sit spiritus disciplinæ, id est aspiret menti disciplinam, id est vitiatorum castigationem, morumque compositionem et candorem, qui contrarius est dolo, fictionem et malitiam. Secundo, sanctus spiritus potest accipi ipse Deus Pater, Filius et Spiritus Sanctus: Deus enim per essentiam est spiritus, isque sanctus; unde seraphini singulis personis acclamant, *Isai. vi, 3: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus sabaoth*; « probat ergo sapientiam non introire in malevolam animam, ex eo quod Deus, a quo manat omnis sapientia, cum sit spiritus sanctissimus et purissimus, fugiat omnem dolum, fictionem et malitiam. Tertio, per spiritus sanctus accipi potest tertia persona SS. Trinitatis, puta Spiritus Sanctus: huic enim appropriatur disciplina, id est morum reformatio, puritas, sanctitas, qui proinde fugit, imo fugat omnem impuritatem, hypocrisis et malignitatem: ita S. Hieronymus, lib. VII in *Isai.*, cap. LXII et Idacius *Contra Variandam*, Hugo, Lyranus, Glossa, et alii.*

DISCIPLINÆ. — Osorius refert *disciplinam ad ÷ factam, id est Spiritus Sanctus enim fugit hereticos et hypocritas, qui simulat et fingunt se studere*

disciplinæ, cum sint indisciplinati, vacentque suis concupiscentiis; vere S. Augustinus in *Psalm. XXXIX*, initio: « Persecutio, inquit, sive a leone, sive a dracone nunquam cessat Ecclesie, et magis metuendus est cum fallit, quam cum savit. » Spiritus Melius alii *disciplinam* referunt ad *Spiritus Sanctus*, hic enim est auctor, amator, tutor et doctor omnis disciplinæ, qua nostros mores ad omnem honestatem confirmat, uti dixi: ita Hugo, Jansenius et alii.

FICTUM. — Græce *δολος* (forte Noster legit *δολος*, id est *dolosum*, fraudulentum, fictum, versipellum masculine), id est *fictionem*, fraudem, dolum, ita res fucatas et fictas (unde Vatablus verit, *id quod fictum est*) omnesque fictos, hypocritas et dolosos, qui vel per fraudes aliena compiliant, vel errores spargunt, vel quid aliud mali perpetrant: opponit fictionem hanc simplicitati cordis, qua querendum esse Deum dixit vers. 4; unde S. Augustinus, serm. 41 *De Verbis Domini*, per factos accipit hypocritas; idem, lib. I *De Baptismo contra Donat.* cap. XII, accipit eos, qui fidei accedunt ad baptismum, uti accessit Simon magus, Actor. VIII, 18, de quo hunc locum accipit Urbanus II, I Quæst. III, cap. *Salvator*: hi enim, si plane fingant se velle suscipere baptismum luri causa, cum revera nolint fieri christiani, uti subinde eum suscipiunt Judæi, irritus is est et nullus; sin serio velint suscipere baptismum et christianismum, sed fingant se penitere de peccatis, que dimittere nolunt, recipiunt quidem sacramentum baptismi, sed non ejus vim et gratiam, nisi postquam per penitentiam sublata fuerit fictio, uti passim docent theologi.

S. Athanasius, serm. *De Passione et cruce*, per factos accipit mendaces et perjuros; S. Bernardus, serm. 4 in *Cant.*, incontinentes; Hesychius, lib. II in cap. *X Levit.*, simulantes penitentiam. Rursum S. Augustinus, lib. II *Contra Parmen.* cap. X et XI, per factos accipit hereticos, a quibus collatum baptismum docet esse verum, a sanctificare baptizatos: « Spiritus quidem Sanctus, inquit, daturus fingentibus deerat justificandis, sed acceptus credentibus aderat abluendis, per ineffabilem efficaciam potentie suæ utrumque valens facere, illos fugere, istos fovere; illos culpare, istos mundare; » et mox: « Omnia sacramenta, cum obsint indigne tractantibus, prosunt tamen per eos digne amentibus. »

Tandem *fictio* proprie significat dolum, versitiam, fraudem, quia homines, præsertim iudices, vel rectores ob numeram, vel respectus humanos justitiam pervertunt; potest tamen *fictio* accipi quoque iniquitas, ut sequitur: hæc enim simulat et fingit æquitatem et honestatem, verendumque enim videri et vocari iniquitas et inhonestas.

Unde ad hanc gnomen alludens, imo eam peraphrastice explicans Tertullianus, lib. *De Orat.* cap. X, docens eam debere esse liberam ab omni animi perturbatione, ait: « Neque enim agnoscit

poterit a Spiritu Sancto spiritus inquinatus, aut tristis a leto, aut impeditus a libero; nemo adversarium recipit, nemo nisi comparem suum admittit. »

Porro, Spiritus Sanctus maxime fugit fictionem et fictos, qui virtutes nomine vitiorum, et vitia nomine virtutum palliant, itaque multos seducunt, dum virtutes in vitia, et vitia in virtutes transormant: nam ut vere ait Cassiodorus « Adulatio blanda omnibus applaudit, omnibus salve dicit: prodigos vocat liberales, avaros parcos et sapientes, lascivos curiales, garrulos affabiles; oblatinos constantes, pigros maturos et graves, hæc sagitta leviter volat, cito infigitur; » et Seneca, *epist.* 21: « Per adulatorem vitia nobis sub virtutum nomine obrepunt, temeritas sub titulo fortitudinis latet, moderatio vocatur ignavia, pro cauto timidos accipitur: in his certe magno periculo erramus. » Denique, sicut Spiritus fugit fictionem et dolum, sic amat et ambit simplicitatem, candorem et amorem. Audi S. Augustinus, lib. *De Moribus Ecclesie cathol.* cap. XVI: « Dicit Paulus, *Rom. v. 3: Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. Dicit Propheta, Sapient. 1, 4: Sanctus enim spiritus disciplinæ effugiet dolum; ubi enim dolum, charitas nulla est. »*

Jam vero dolum, fictio et mendacium omnes d docet, sed maxime principes et rectores: hi enim fugando et fallendo perdunt omnem fidem et auctoritatem apud subditos, vicinos et exteros; unde Leo imperator, *Exhort. ad filium*, cap. XXIX: « Maximi, inquit, pendito veracem te esse, et veraces homines in familiaritatem tuam admittere: ita enim firmus et constans in omnibus dictis et factis existimaberis, ac veram et non suspectam tuorum erga te benevolentiam obtinebis; si autem in vanilitas et mendacii suspicionem veneris, indigna agere imperatoria majestate, qua auctus es, convinceris, effliciesque ut subditi semper formidolosi, rerumque omnium incerti et titubantes vacillent. » Et cap. XXXVI: « Dicere autem oportebit ea que plane scies, aut ea que temporis ratio postulat: de ceteris omnibus silere salius erit, quam loqui: nam principem non nisi vera, opportuna, et magni momenti verba proloqui decet. » Rursum, fictio plane indigna est in sacerdote, rebus sacris et sacramentis; estque peccatum sacrilegii; unde Hesychius in cap. *X Levit.*, et habetur de *Penitent.* dist. 3, cap. LII: « Inter hæc sicut vera penitentia, inquit, Deum promeretur, ita simulata Deum irritat: quia Spiritus Sanctus disciplinæ effugiet fictum. Hoc autem SS. Patres irreversibile peccatum et blasphemiam in Spiritu Sancto dixerunt: » nam, ut ait Clemens Alexandrinus, lib. III *Strom.*:

« Hypocrisis est instar nivis, et hypocrita est quasi sterquilium nive contactum, utpote qui vitia omnia candore simulata virtutis, velut nive obtegat. » Talis hypocrita fuit Julianus Apostata, quem proinde S. Gregorius Nazianzenus, *orat. 3* contra eundem, recte comparat chamaeleonti: « Sicut, inquit, chamaeleontem aiunt, in quemvis facile mutari, atque omnes colores, candore uno excepto, suscipere (fabulosum enim Proteum sophistam prætereo), sic etiam ille christianis, præter clementiam, in quidvis se vertebat, et perquam crudelis erat ejus lenitas. »

ET AUFERET SE A COGITATIONIBUS, QUÆ SUNT SINE INTELLECTU. — Græce, *ἐκκαταναίει ἀπὸ λογισμῶν ἀνοήτων*, id est *extergitur, excutitur, erigit se, ut ascendat et avolet a cogitationibus intelligentiæ expertibus*, imperitiis, imprudentibus, insipientibus, stullis, quales sunt tyrannorum, omniumque injustorum et impiorum; Nanius verit, *resiliet*; alii, *commigrabit*, *amovebitur*, *procul abssistet*, juxta illud, *Psalm. LXIII, 8: Accedet homine ad cor altum, et exallabitur deus*, et q. d. Homines versati alto, id est profundo, corde multas artes, fraudes, impiaque consilia excogitant, sed Deus alto hominum corde longe est altior et profundior; unde ejus technas delecti, dissipat, punit, vindicat: quocirca Aquila, Symmachus et Theodotus pro *καὶ ἴσχυρην*, id est *exallabitur*, alii puncti legentes *καὶ ἴσχυρην*, id est *sagittabitur*, vertunt, *mentem et cor profundum hominis sagittabit et confuset*. Ex adverso sapientia, ejusque auctor Spiritus Sanctus, ait *Prov. VIII, 12: Ego sapientia habito in consilio, et cruditis interiorum cogitationibus: vide ibi dicta. Quæ sint cogitationes sine intellectu, quæ cum intellectu, et quomodo utroque formetur et crescat, subtiliter explicat S. Bernardus, tract. *De Vita solitaria* ad Fratres de Monte Dei, longiuscule ante finem.*

Hinc sapientie symbolum est sal: nam, ut ait Plinius lib. XXXI, cap. IX: « Salis natura per se ignea, et inimica ignibus, fugiens eos, et omnia erodens: corpora vero astringens, siccat, alligans; defuncta autem et putrescentia ita vindicans, ut durent ita per secula. In medendo vero mordens, adurens, repugnans, extenuans, dissolvens. » Sapientia autem ignea est, a calore Spiritus Sancti generata, sed igni concupiscentie valde inimica, quem in malevolam animam non introibit, disciplinæ fugit fictum, et auferet se a cogitationibus impudicis, quæ sunt sine intellectu: affectus humanos erodit, atque ab eis quidquid inordinatum est et effrenatum, detrahit; corda justorum *ostringit*, ne in vitia labantur; *siccit*, ne humore pravi amoris tabescant; *alligat*, ne in peccata prefluant: nam per sapientiam sancti sunt, quicumque Domino plauerunt; animas peccatis mortuas, et sibi ipsas per humilitate et contemptu proprio puti scentes *conservat*, et vitam aliam supra caplum humanum, et in corruptionis claritatem communitat.

ET CORRUMPIETUR A SUPERVENIENTE INQUITATE. — Græce, *διεφθάρηται ἐπιθεῖσθαι ἀνομίαις*, id est *corrumpiet, vel corrumpitur superveniente peccato*, inquit nonnulli, adduntque *καὶ ἵνα* verbum esse me-

dium; unde tam active verti potest, *corripit*, quam passive, *corripitur*. Active accipit Contumacius, q. d. Spiritus Sanctus corripit, arguet, vincet iniquitatem, quæ specie requiritur simulata se velabat et occultabat, tamque delegat et damnabit, juxta illud Christi, *Joan. xvi. 8*: « Et cum venerit ille (Spiritus Sanctus) arguet mundum de peccato, et de justitia, et de judicio: Spiritus Sanctus enim ostendit eos, qui fraudes et technas neunt, tunc maxime desipere, cum sibi summe sapere videntur; unde Syrus vertit, *corripit omnem tyrannidem quæ evenit*: proprie enim in tyrannos et oppressores hæc dicuntur. Verum *deus tyranus*, non est futurum verbi medii, sed passivi; passive ergo accipiunt Noster et ceteri, vertuntque *corripitur*, quod S. Augustinus, lib. *Contra Adimantum*, cap. vii, refert ad hominem fictum, q. d. Corripitur homo fictus, scilicet superveniens sibi iniquitate sua, cum ab eo accesserit Spiritus Sanctus: hæc enim iniquitas ipsi ostendit, quod devilerit ab aequitate, sapientia et virtute; unde conscientia eum remordet, castigat et puniet. Addit Lyranus: In peccata graviora sinetur labi, sic enim Deus solet priora peccata castigare pro sequentia majora et turpiora; denique fictus, ait Iugo, cum retributionis dies venerit, pro iniquitate corripitur, id est punietur.

6. Melius alii attribuit Spiritui Sancto, idque liquet ex textu Græco, q. d. Spiritus Sanctus ab iniquitate corripitur, id est confutatur, ait Jansenius, ac velut vituperatur et dehonestatur, ait Vatablus, indigne tractatur, ait Nannius (hæc enim omnia significat, *διγνώσκω*), ac proinde vel confusus ac probro affectus fugit et discedit. Hinc Arabicus vertit, *reprehenditur cum prorsus fuerit iniquitas*. Unde nota tantam esse antipathiam inter iniquitatem (græce, *ἀνομία*, id est peccatum, scelus, legis transgressionem) et Spiritum Sanctum, ut iniquitas abigit Spiritum Sanctum, sicut tyrannus abigit regem: infinitum est enim dissidium et odium inter Spiritum Sanctum et peccatum: ita enim odit ipse peccatum, itaque ipsi exosum est, et quasi noxium omne scelus, ut, si ipse posset per impossibile gladio aliquo jugulari, vel veneno aliquo periri, non alio jugulari, vel perimeretur, quam peccato: peccatum enim directe violat sanctitatem Spiritus Sancti, ejusque angelorum; unde S. Basilius in *Psalm. xxxiii*, ad illa: *Inmittet* (se, hoc est inseret) *angelus Domini in circuitu tenantium eum*: « Voluit fumus, inquit, fugat apes, et fœdus odor columbas expellit, sic angelum vitæ nostræ custodem abigit multa lacrymarum aspergine dignum, et gravolens peccatum. »

Noster Pineda in *Job* cap. xxxv. 6 et 7, *corripitur* exponit *contristatur*, q. d. Contristatur Spiritus Sanctus, dum videt animam iniquitatem committere, ideoque quasi mœstus ab ea fugit et discedit, juxta illud, *Ephes. iv. 30*: « Nolite

contristare Spiritum Sanctum; » peccator ergo dum peccat, quantum in se est, corripit, confutat, conspurcat, contristat, expellit Spiritum Sanctum. Hæc omnia anthropopathês dicuntur de Spiritu Sancto: ipse enim proprie corripit, probro afficit et contristari nequit, cum sit spiritus sublimissimus, perfectissimus, beatissimus et inviolabilis. Dicitur tamen corripi: vituperari, contristari, tum quia peccata causam ipsi dant doloris, probri et tristitiæ, ita ut, si in eum cadere posset dolor, probrum aut tristitia, utique peccatum ipsum dolore, probro et tristitia afficeret: tum quia ipse peccatum odit, et a peccatore abit et discedit, perinde ac si probro et tristitia affectus fuisset. Est catachresis et metonymia, ponitur enim effectus pro causa, scilicet correpto et tristitia pro odio, quod in hominibus ex tristitia consequitur. Minus recte alii se exponunt, q. d. Corripitur, id est convincitur Sanctus Spiritus, ex iniquitate hominis, quod in eo convertendo et sanctificando frustra laboraverit. Et alii, qui sic transferunt: Spiritus Sanctus investigabitur, deprehendetur et agnosceretur in iniquitate hominis, sicut lux in tenebris magis agnosceretur, et resplendet. Et noster a Castro: *Corripitur, inquit, est celeriter rapere, juxta illud Virgili:*

Arctumque manu, celeresque sagittas
Corripit.

Sensus ergo est, q. d. « Spiritus Sanctus discipline institutor fugit, quod videt fictum in discipulo, et abscedit a cogitationibus ejusmodi dolo-
sis, et celeriter corripit sese ab animo ejus, mox ut advertit similem iniquitatem sese in illum insinuare: » hæc a Castro. Verum græcum *διγνώσκω* non significat *celeriter rapere, sed corripere*, id est redarguere, increpare, convincere.

6. BENIGNUS EST ENIM SPIRITUS SAPIENTIAE (Græca habent, *εὐαγέλιον*, id est *sapientia*; sed eodem redit sensus: spiritus enim sapientie est ipsa sapientia spiritalis, sive creata, sive increata, quæ est ipse Deus et Spiritus Sanctus, uti dixi vers. precedenti: quare idem est dicere: *Sapientia est spiritus benignus*, cum eo, quod dicit Noster: « Benignus est spiritus sapientie », ET NON LIBERABIT MALEDICUM (ita Romana; minus recte Glossa, Lyranus, Dionysius et alii legunt, *maledictum*) A LABIIS SUI. — Quoad nexum hujus sententiae cum precedenti, nota *enim* dupliciter accipi posse, primo, pro *enim vero, quidem, quomvis enim*: respondet enim hebræo *כי*, id est *quæ, quoniam*, quod non semper causam reddit, sed subinde sermonem tantum continuit, imo subinde orditur, estque particula expletiva, quæ ornatus dicitur causa additur. Sic sensus nexuque erit, q. d. Enimvero benignus est spiritus sapientie; vel: Quamvis enim benignus sit spiritus sapientie, tamen non liberabit maledicum a labiis suis, id est a culpa et poena suæ maledicentiæ debita; sed eum acriter puniet: ita Nazianzenus, *orat. 44*.

quæ est in Pentecosten: « Ille (Spiritus Sanctus), inquit, et lenitatis spiritus est, et tamen in eo qui peccat incitatur: proinde si eum lenem et clementem, et non iracundum experiri volumus, dignitatem ipsius confiteamur, caveamusque, ne quid in illum convicii blasphemieque dicamus, neque velimus eum implacabiliter irascentem videre. »

Secundo, *enim* magis proprie et nervose accipi potest ut nota causalis: dat enim causam, cur sapientia, id est Deus et Spiritus Sanctus, fugiat fictos, ac puniat blasphemos et maledicos, qui Deo, vel hominibus contumeliosi et injuriosi sunt, q. d. Ideo eos punit, quia benignus et *εὐαγέλιος*, id est *amator hominum* est: ut enim eos a petulantia, maledicentia et injuria tueatur et vindictæ, maledictis severe castigat: vera enim benignitas et clementia est, si ad tutelam piorum assurgunt impii in pios contumeliosi et injuriosi: nam, ut ait S. Gregorius in *I Reg. cap. ult.*, disciplina et misericordia multum destituitur, si una sine alia teneatur: non enim solum piis, sed et impiis bene fit, si per poenas a malo correeantur.

Pro *benignus* græce est *εὐαγέλιος*, id est singularis *hominum amator*, qualis fuit Christus pro nobis in carnem et crucem descendens, de quo S. Paulus, *Ti. iii. 4*: « Appruit, inquit, benignitas et humanitas (græce, *εὐαγέλιος*), id est eximius ille in homines amor » Salvatoris nostri Dei. S. Augustinus, lib. *De Maledico*, cap. xvi, legit, *humanus est spiritus sapientie*; Syrus, *amans est enim filios hominum*, qui scilicet se, suam sapientiam et gratiam hominibus communicare impense cupit et optat. « *εὐαγέλιος*, ait Elias Cretensis in *orat. 4* Nazianzeni, ille est, qui inimicis etiam blandum ac liberalem se prebet, ac quantum potest Deum imitatur, qui justos et injustos beneficiis afficit; » audi Nazianzenum, *orat. 44* in *S. Pentecost.*: « Ille Spiritus, inquit, utpote sapientissimus atque hominum amantissimus, si pastorem nactus fuerit, psalter efficit pravos spiritus incantantem, atque Israelis regem designat. Si caprarum moros vellicentem, Prophetam reddidit: Davidem et Amos cogita. Si adolescentem pulchre indolis acceperit, presbyterorum judicem constituit, idque supra quam ætatis ratio ferre videtur: testis est Daniel, qui leones in laeu superavit. Si pisces inveniit, Christo ireit, orbem universum sermonis rebus complectentis: Petrum mihi atque Andream accipe, tonitruque filios, qui spiritualia intonuerunt. Si publicanos, ad discipulatum elucrat, atque animarum negotatores efficit: testis Mattheus heri publicanus, hodie evangelista. Si feroces persecutores, zelum commutat, ac Paulus pro Saulis facit, esse minus pius reddit, quam impios offenderat. »

ET NON LIBERABIT (græce, *οὐκ ἐλευθερώσει*, id est *non liberabit innocentem*, id est non sinet impunitum, sed gravibus poenis et supplicis onerabit: est

miosis) MALEDICUM, — græce *βλάσφημος*, id est *blasphemum et contumeliosum*, sive in homines sive in Deum, qui scilicet non sentit de Deo in bonitate, nec in simplicitate, sed in dolo querit eum, ut dixit vers. 4: Deus enim discipulos et auditores sapientiæ suæ querit simplices sibi credentes, fidentes et obediētes, qui de ipso dicant: *ἀβλασφημὸς*, id est ipse dixit; uti dicebant discipuli Pythagoræ. Unde Syrus, *non justificat populum blasphemantem*; Arabiens, *insultantem*.

A LABIIS SUI, — id est a culpa, petulantia et maledicentia laborum suorum. Triplex est maliis opposita bonitati et simplicitati Dei, de qua dixit vers. 2: « Sentite de Domino in bonitate, » etc., quæ proinde nos separat a Deo, ideoque summe detestanda et cavenda, scilicet maliis cordis, oris et operis, puta perveris cogitationibus, sermones et actiones; de *cogitationibus* egit vers. 3 hucusque; hic agit de *sermionibus*, puta murrurationibus, detractionibus, mendaciis usque ad vers. 12, ubi agit de *operibus*, siquæ omne genus maliis culpæ et resecat.

QUONIAM RENUM ILLIUS TESTIS (græce *μαρτυρῶν*, id est *martyr*, puta *testis*) EST DEUS, ET CORDIS ILLIUS SCRUTATOR EST VERUS (Syrus, *operator veritatis*), ET IN LINGUA EIUS ADITOR. — *Renus* notat intimas cogitationes, et appetitiones (concupiscentias enim, libidinis et seminis origo est in renibus) secretas et occultas; unde sensus est, q. d. Ne putes secreta tua peccata et maledicta esse occulta: Deus enim intuetur secretissima quæque non solum locorum, sed et mentium: unde vocatur *renis*, id est *Deus*, *ὁπὸ τοῦ νεφροῦ*, id est *ab intuentio* et contemplando; hinc explicans subdit: « Et cordis illius scrutator (græce *ἐπινοεῖται*, id est *speculator, inspector*) est verus, » puta Deus, qui est ipsa veritas, ac proinde nec falli ulla in re, nec fallere potest (unde Arabicus vertit, *explorator, scrutator cordis illius*). « Et lingue ejus (etiam submissa intra labia mussitantis, murrurantis et maledicentis) est auditor. » Tria enim sunt, inquit Holcot, quæ vellet peccator maxime latere, videlicet delectationem suæ voluptatis, cogitationem concepte vanitatis, locutionem communicatæ perversitatis: et tamen omnia ista Deus nudo videt; ista autem tria tangit Sapiens per tria corporis organa, videlicet renes, cor et linguam. In renibus viget voluptas, in corde vanitas et in lingua perversitas; et respectu istorum trium tres actus Deo attribuit: nam respectu voluptatis, ipse est testis; respectu vanitatis, ipse est scrutator: scrutari enim est ad interiora et latentia penetrare, juxta illud, *Psalm. vii. 10*: « Scrutans corda et renes Deus; » sed respectu perversitatis, falsitatis ipse est auditor. Et inferias: Notandum, inquit, quod hic tangit Sapiens tria corporis organa, quæ difficillimum est regere ratione, renes, cor et linguam: nam in renibus voluptas, in corde vanitas, in lingua falsitatis dominatur; et ideo difficillimum etiam sanctis, quod se regunt per-

seculo in delectationibus, quae per renes significantur; in cogitationibus, quae per cor; in locutionibus, quae per linguam notantur. Dicit Aristoteles, lib. XIII *De Animal.*: Infirmas renum in hominem est difficilis curationis. Moraliter, quia in renibus dominatur voluptas, ideo infirmas renum carnalem denotat concupiscentiam, quae vocatur languor naturae; hinc renum morbus igno aduri solet, unde illud *Psal.* **XXV**, 2: « Proba me, Domine, et tenta me: ure renes meos et cor meum »; id est, ait Glossa, adhibe medicinalem purgationem tribulationis delectationibus meis, ne quid mali delectet me; et cogitationibus, ne quid mali cogitem: quocirca sapienter David moriturus hoc monitum dat Salomoni filio sibi in regnum successuro, *1 Paral.* **XXVIII**, 9: « Tu autem, Salomon fili mi, scito Deum patris tui, et servo ei corde perfecto, et animo voluntario: omnia enim corda scrutatur Dominus, et universas mentium cogitationes intelligit. » Hoc ergo age, hoc cogita, hoc elige, quod cupis patere et placere oculis Dei; hoc cogitare, hoc eligere noli, quod seors patere et displicere Deo.

Hinc S. Bernardus, lib. *De Interiori domo*, cap. **XXXIX**, docet summa cura advigilandum ad cogitationes nostras: « Ibi namque, inquit, est cogitatio tua, ubi est affectio tua; ibi cor tuum, ubi est desiderium tuum: quoniam illud saepius in cogitatione volvimus, cujus amore plus affecti sumus. » Vis ergo nosse quid ames, adverte quid saepe cogitas. Subdit S. Bernardus: « Si mala cogitas, Spiritus Sanctus disciplinae effugiet fictum, et auferet se a cogitationibus sine intellectu, critique templum Dei spelunca diaboli, quoniam quem Deus deserit diabolus arripit. Et ideo, quacumque hora mala cogitatio cor tuum tangit, non consentias illi, nec sinas eam in corde tuo manere, sed illico repelle. In initio cogitationis inique resiste, et fugiet a te. Cogitatio prava delectationem parit, delectatio consensum, consensus actionem, actio consuetudinem, consuetudo necessitatem, necessitas mortem. Sicut vipera a filiis suis in utero positis lacerata perimitur: ita nos cogitationes nostrae intra nos nutritae occidunt. » Audi S. Augustinum, *Præfat.* in *Psal.* **CLXVIII**: « Non potest fieri ut habeat malefacta, qui habet bonas cogitationes: facta enim de cogitatione procedunt; nec quisquam potest facere aliquid, aut ad aliquid agendum membra movere, nisi primo præcesserit iussio cogitationis. Quomodo de interiori palatio quidquid iusserit imperator, per imperium Romanorum emanat, quidquid videlicet agi per provincias: quantum motus fit ad unam jussionem imperatoris intus sedentis? movet solum ille labia cum loquitur, et movetur omnium provincia, cum fit, quod loquitur. Sic et in unoquoque nostrum intus est imperator, intus in corde sedet. Si bonus bona jubet, bona fiunt, et si malus mala jubet, mala fiunt. Cum ibi sedet Christus, quid potest jubere,

nisi bona? cum possidet diabolum, quid potest jubere, nisi mala? In tuo autem arbitrio Deus te esse voluit, cui pares locum; Deo an diabolo? eum paraveris, qui possidebit, ipse imperabit. »

Denique S. Gregorius Nazianzenus, orat. **34**, quæ est *2 De Theologia*, per sanctum spiritum accipiens Deum, ex eo probat Deum ita esse immensum, ut omnia circumscribat, et a nullo circumscribatur. Concinit ei Theophilus patriarcha Alexandriae, patruus et antecessor magni Cyrilli, ac emulus et iudex S. Chrysostomi: sic enim ait Theophilus, epist. *1 Paschali*: « Cur David canit, *Psal.* **CLXXXVIII**, 7: Quo ibo a spiritu tuo? Quod dicens ostendit a Sancto Spiritu omnia contineri, et illius majestate circumdari; si omnia in omnibus, utique et irrationabilia et inanimata. Et alibi legitur, *Sapient.* **1**, 7: Spiritus Domini replevit orbem terrarum, quod nulloquam Scriptura memoraret, nisi irrationabilia quæque inanimata illius numine completerentur. » Theophilum patrum sequens S. Cyrillus, tract. *Quod Spiritus Sanctus sit Deus*, ex hoc loco idipsum probat: tum quia replet omnia, ergo est immensus, ergo Deus; tum quia continet omnia sua vi et potestate; tum quia est super omnia: situs est ergo, inquit, super omnes creaturas, et naturam eorum quæ ab ipso implentur ac continentur, transiit: at Deus est id quod est super creaturam. »

7. QUONIAM SPIRITUS DOMINI REPLEVIT ORBEM TERRARUM: ET HOC, QUOD CONTINET OMNIA, SCIENTIAM HABET VOCS. — Probat quod Deus infima et occultissima, tum cordium, tum sermonum, et præsertim occultas blasphemias in Deum, et maledicta in homines prolata, perspicat, iudicat et vindicat, ex eo quod ejus spiritus repleat totum orbem, ut ubique sit præsens, ac consequenter omnia comminus intueatur et videat, ita omnia manu sua contineat, ac proinde voces quaslibet et verba, etiam mentalia sciat et cognoscat: quia eum non impedit ulla loci distantia, nec voces vel idiomata ignorantia.

« Spiritus Domini » accipi potest dupliciter, primo, cum S. Augustino, epist. **37 ad Darinlanum**, cap. **V**, B. Petro Damiani, lib. **IV**, epist. **6**, et aliis, *essentially*, ut sit idem quod ipsa spiritus Dei natura, vis, efficacia, scientia, providentia, operatio, conservatio: hæc enim ubique est per essentiam, præsentiam et potentiam; ac proinde omnia replet, omnia continet, conservat, vivificat: nam, ut ait Athenagoras, orat. *De Resurrectione*: « Nihil neque terrestrium, neque celestium rerum cura et providentia destitutum est; sed in omnia æque, tum quæ in aperto sunt, tum quæ latent, in magna item et parva penetrat Creatoris sollicitudo: » nam Deus, ut ait Philo, lib. **II**, *Allegor. legis*, implet omnia, penetrat omnia, nihil omnino relinquens seipso vacuum; et quem locum occupabis, in quo non sit Deus? itaque nemo potest se ab eo abscondere. Hinc similis est gnome *Psal.* **XCIII**, 9: « Qui plantavit aurem,

vol. audire? aut qui fixit oculum, non considerat? » ita S. Augustinus, in *Psal.* **LXVII**, qui ex hoc loco probat Deum esse ubique, juxta illud, *Psal.* **CLXXXVIII**, 7: « Quo ibo a spiritu tuo? et quo a facie tua fugiam? » Porro Spiritus Domini sua subtilitate replet et continet omnia, sicut replet et continet aer, dum omnia subintrat et penetrat: sicut enim voces foras aëre, et per eum vehuntur ad aëres, sic nil potest quisquam loqui, quod non perveniat ad spiritum Domini, utpote in S. Trinitate persona: hic enim est Spiritus Domini, quia productus per spirationem activam Patris et Filii, qui pariter replet orbem, et continet omnia; unde ex hoc loco Spiritus Sancti immensitatem, ac consequenter divinitatem probant S. Athanasius, epist. *ad Serapionem*, S. Basilus, hom. *De Spiritu Sancto*, et lib. **V** *Contra Eunomianum*, cap. **III**, S. Ambrosius, lib. **I** *De Spiritu Sancto*, cap. **VIII**, S. Augustinus, lib. **III** *Contra Maximin.* cap. **XXI**, Origenes, lib. **VII**, cap. **IX** epist. *ad Rom.*, Cyrillus Alexandrinus, lib. **VIII** *Contra Julianum*, et lib. **VII** *De Trinitate*, qui addit idem sensisse Platonem et platonicos, qui dixere Deum esse animam mundi, juxta illud Virgilii:

Spiritus intus alit, totamque intrusa per aëras
Mens agit molem, et magno se corpore miscet.

Porro richardus de S. Victore, serm. *De Missione Spiritus Sancti*, censet per hoc indicari Trinitatem personarum, eum identitate essentie: nam Spiritus Domini est Spiritus distincte personæ; sed tamen est hoc, quod continet, id est illud ipsum, quod est ille, a quo sunt omnia: est illud per quem est, id est id, quod Pater et Filius est, a quibus procedit; verum hoc subtilius est quam solidius: prior sensus planior et germanior est.

ET HOC, QUOD CONTINET OMNIA, SCIENTIAM HABET VOCS. — Græcici interpret: quia enim πᾶσα, id est spiritus, Græcis est generis neutri, hinc trinitatem, sustinendo presidentes, circumdando penetrans, penetrando circumdans. » Denique Job, cap. **XXI**, vers. **8**, de Deo: « Excelsior caelo est, inquit, et quid facies? profundior inferno, et unde cognosces? longior terra mensura ejus (hebraice, statua ejus), et latior mari; » hinc illud Virgilii, **III** *Ecol.*

Jovis omnia plena.

Et Lucanus, lib. **IX**:

Jupiter est quodcumque vides, quocumque moveris.

Porro, sicut spiritus, id est ventus favonius flans suo haultu aperit ver, terramque germinare facit, ac omnia fecundat; imo, ut ait Plinius lib. **XVI**, cap. **XXV**, et lib. **XVIII**, cap. **XXXIV**: « Afflata suo nutritium exeret: » sic pariter Spiritus Dei ita continet repletque omnia, ut ea gravidet, fecundet.